DISPUTATIO JURIDICA DE SUMTIBUS PIETATIS

QUAM

PRÆSIDE

DN. IOH. HENRICO Böttcher/

J.U.D. PROFESSORE ORDINARIO ET DICASTERII GUELPHICI ASSESSORE

DN. AFFINE, PRÆCEPTORE AC HOSPITE SUO ÆTERNUM VENERANDO

ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTET

AD D. DECEMBR.

IOACHIM CHRISTOPH Stisser/

Quedl. Saxo.

AUTOR.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Helmæstadi,

Typis Henrici Davidis Mulleri, Acad. Typ.

Anno CIↃ IↃ C LXXVI.

GENEROSO ET MAXIME STRENUO DOMINO,

DN. FRIDERICO DE HOIMBURG, DOMINO IN Goltern.

SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI

DN. RUDOLPHI AUGUSTI DUCIS BRUNSV. ET LUNEB.

PRÆSIDI CONSILII STATUS CAMERÆ ET JUDICII AULICI

Patrono ac Promotori suo piè venerando

Hoc exercitium Academicum devotè offert

JOACHIM CHRISTOPH STISSER

A.

I. N. D. N. J. C.

PROOEMIUM

QVæ homo homini præstare solet, vel præstat ex obligatione, quâ quis necessitate adstringitur ad dandum vel faciendum *pr. I, d. obligat.* vel præstat ex liberrima voluntate nulla necessitate cogente, *arg. L. 1. ff. d. don.* Etenim vix homo sibi soli sufficit, ut indigentiam explere possit. Arist. *8. Eth. Nicom. & passim* Igitur natura quandam cognationem inter omnes homines constituit, ut alter alterius ope supplere possit, quod sibi deest. *L. 3. ff. d. just. & jur.* Cum tamen omnes homines naturâ sint liberi, *§. 2. I. d. I. N. G. & C.* non præcisè natura voluit, ut alter ab altero invito quicquam exigere possit, nisi is suâ voluntate vel præcedente vel concomitante vel subsequente se astrinxerit. Ad conservandam vero mutuam amicitiam inter homines multa naturâ pudori & honestati cujusque reliquit, ut licet alter ab ipso exigere non possit, tamen is sponte sua præstare debeat, multis enim casibus evenit, ut obligatio sit in nobis & nullum jus in alio Grot. *d. I. B. & P. L. 2. C. 11 num. 3. inf.* Hillig. *ad Don. Lib. 12. C. 2.* Hinc nonulli obligationem naturalem dividunt in plenam & minus plenam. Sutholt. *in Dissert. ad Inst. de Obl.* Ad obligationem minus plenam referunt debitum gratitudinis, misericordiæ, liberalitatis &c. Grot. *d. l.* quod tamen ita intelligendum si tale debitum in suo statu sit relictum, nec à lege ul-

terior obligatio ſit adjecta, ſiquidem lex eſt quaſi commune pactum populi, Grot. *d. l. num. 1. L. 1. ff. d. LL.* & ſine dubio vim producendæ obligationis habet *l. 52. l. 41. ff. de O. & A.* Sic in jure noſtro ſæpius occurrunt exempla, ubi gratitudo poteſt exigi, v. g. patronus â liberto poteſt exigere gratitudinem; Similiter qui præſtitit operam gratuitam non locari ſolitam, poteſt quandoque petere remunerationem & honorarium *L. 27. ff. d. donat.* Cavendum autem, ne confundamus debitum gratitudinis & miſericordiæ cum prohibita ingratitudine & crudelitate. Quod attinet ad liberalitatem, hæc ad conſervandam ſocietatem humanam maximè conducit. Ex hac liberalitate fluunt omnes contractus, quibus quis ſe adſtrinxit ad rem vel operam gratis præſtandam, quos contractus Grotius vocat beneficos *Lib. 2. de I. B. & P. C. 12. num. 11.* Inde etiam fluit donatio & multa alia. Sed facilius quis uſum rei vel operæ gratis præſtat, quam ut rem animo non recipiendi donet; Etenim appetitus ſe ſuoſque conſervandi ſæpius facit, ut homo in acquirendis & retinendis vitæ inſtrumentis plus ſit occupatus, quam in iisdem jactandis: Hinc donatio non facile præſumitur *L. 25. ff. de probat.* Struv. *ad tit. de don.* niſi aliæ circumſtantiæ concurrant, quæ contrariam præſumtionem ſvadeant. Circumſtantiæ autem iſtæ ſunt variæ, & quam maxime præſumitur donatio, ſi ex circumſtantiis appareat, quod quis ſingularis pietatis exercendæ cauſa aliquid dederit, impenderit vel promiſerit. Cujus rei exempla cum plurima tum in noſtro jure Romano, tum in vita quotidiana occurrant, animus eſt de *Sumtibus pietatis* nonnulla pro ingenii modulo tractare.

CAP.

CAPUT I.

DE

NOMINE ET DEFINITIONE SUMTUUM PIETATIS.

SUMMARIA

Ingressus. 1.
Etymologia vocabuli sumtus. 2.
Homonymia. 3.
Synonymia. 4.
Divisio sumtuum. 5.
Ubi in jure fiat mentio sumtuum. 6.
Lex sumtuaria. 7.
Vocabuli pietas Etymologia. 8.
Homonymia. 9.
Descriptio sumtuum pietatis. 10.
Quare ita dicantur. 11
Quinam sumtus fiant animo repetendi. 12.
Ad quid agat negotiorum gestor. 13.
Ejus obligatio. 14.
Habet regressum contra principalem. 15.
Idem in mandatario. 16.
Repetit impensas. 17.
Etiam inutiles. 18.
Quid hic singulare. 19.
Idem in administratore rerum alienarum. 20.
In dubio expensæ donatæ non præsumuntur. 21.
Quinam sumtus ex pietate facti dicantur, remissivè. 22.
Ordo agendi in disp. 23.

DE sumtibus pietatis acturum prius nosse oportet, unde descendat nomen sumtus, *arg. L. 1. ff. d. just.* 1.
& jur. quippe nomen ab origine derivare, & ab homonymiæ spinis vindicare, non tantùm evidens utilitas efflagitare, sed & methodi receptæ leges imperare videntur. Esse autem illud verbum derivativum, & 2.
originem suam ducere à *sumere* constat. Varias tamen significationes inducit illud vocabulum, è quibus nonnullas

hic

3. hic meminisse sufficiet. Propriè significat actum sumentis.
Usitatius vero illud dicitur quod sumitur sive insumitur vel
impenditur, quâ significatione etiam in hac nostrâ materiâ
venit. Aliàs sumtus quoque dicuntur, impensæ, impen-
4. dia, impensiones, expensæ *Germ.* Unkosten / Zehrungen /
Vid. *Lex. Philolog. Martini sub voce Sumtus*; quæ impensæ
5. communiter dividuntur in necessarias, utiles, & volu-
ptuarias, *l. 1. 5. 7. 8. 15. ff. de impens. in res dot. L. 79.*
6. *de V. S. L. 36. §. ult. L. 38. 39. ff. de her. pet. L. 38. ff. d. R. V.*
Sumtuum vero sæpius fit mentio in nostro jure: Sic in *L. 1.*
ff. de inoff. testam. dicitur inanibus sumtibus vexare. *Vid. ex*
pluribus L. 61. ff. de leg. 1. L. 37. §. 5. L. 48. ff. d. R. V. L. 5. C. eod.
Imò integri tituli reperiuntur de sumtibus agentes. Sic est
titulus de *Religiosis & sumtibus funerum. De sportulis & sum-*
7. *tibus in diversis judiciis faciendis. Ut Vasalli sumtibus Domini*
servitia præstent &c. Nota etiam est *Lex sumtuaria*, quæ lata
erat de sumtibus erogandis & moderandis, & præcipuè oc-
cupata circa vestimenta, esculenta & poculenta, aliasque
res ad luxum spectantes, quo debitus ordo observaretur.
Cujusmodi Ordinationes adhuc hodiè observantur in non-
8. nullis Civitatibus, & in hoc inclyto Ducatu ejus generis plures
supersunt. Porro non prætermittendum nonnulla dicere
de vocabulo *pietas*, quod *Nonius* à *penitus* deducere vult, dum
hisce verbis utitur: *Pietatem docti veteres hanc esse voluerunt,*
quod, quæ in eâ sunt, quasi penitus & in penetralibus recondan-
tur, hoc enim & in antiquis libris & Philosophorum tractatibus
invenitur. Quod tamen, an Etymologiam genuinam sapi-
at, alijs judicandum relinquo; audax enim esse etymon ipse
asserit *Martin in dict. Lex. Philolog. sub voce Pietas.* Quic-
9. quid sit, purè latinum illud vocabulum esse ex *Cic.* & alijs
puræ latinitatis scriptoribus apparet. Propriè autem usur-
patur de Deo, hinc Germanis dicitur Gottesfurcht. Sic e-
nim *Cic. 1. de Nat. Deor. Pietas est justitia adversus Deos*, in-
dego transfertur in patriam, parentes, liberos & optimè
meritos. Sic pius dicitur qui debito modo officiosus est
erga

erga Parentes, & ita pietas est parentibus à liberis debitum
obsequium, honos & reverentia. Est etiam pietas erga ma-
jores & sanguine junctos. Est pietas erga liberos, erga fra-
tres & sorores, *L. ult. ff. fam. ercisc. L. 27. §. 1. ff. d. N. G.*
Sic etiam Majorum clementia & benignitas erga subditos
dicitur pietas in *L. 30. ff. de oper. libert. L. 23. pr. & §. 1. C. de
nupt.* Nonnunquam etiam capitur pro misericordiâ, quam
quis exarcet erga alterum opem sibi ferre non valentem.
Imò omne humanitatis officium ex merâ liberalitate & mi-
sericordiâ exhibitum nomine pietatis venire solet *L. 14. §. 7.*
ibi: *Perpendendum quo animo sumtus factus sit: utrum negoti-
um defuncti vel heredis gerit, vel ipsius hereditatis: an vero mi-
sericordiæ vel pietati tribuens, vel affectioni, ff. d. Relig. &
sumt. fun.* Cui volupe est, non tantùm hæc, sed & plura vi-
dere poterit ap. *Martinum in Lex. Calvinum, in Lex Jurid.
voc. Pietas.* 10.

Hisce præmissis ad rem ipsam accedo, & quidem pri-
mo ad definitionem *Sumtuum pietatis*, quos ita describo, quod
sint *impensæ ex pio affectu animo non repetendi faciendæ vel
jam factæ, arg. L. 14. §. 7. ff. de relig. & sumt. fun* Dicuntur
impensæ, quoniam, sicuti paulo ante dictum, impensæ &
sumtus sunt quodammodo synonyma, & denotant omne id 11.
quod impenditur sive impendendum venit. Quoniam au-
tem varii generis sunt impensæ, differentiæ loco additur
quod ex pio dentur affectu, animo non repetendi. Sumtus
enim ex pietate facti, ad repetendum nullam producunt a-
ctionem, *L. 27. §. 1. ff. de N. G.* & licet indebitè solutum,
tamen si ex pietate factum, condictio indebiti cessabit, *L.
32. §. 2. in f. ff. de condict. indeb.* Sic differunt sumtus pieta-
tis â sumtibus quos facit negotiorum gestor, Mandatarius,
Tutor, Curator, Procurator, Syndicus, & omnis alius, qui 12.
in rem alienam quid impendit. Sunt enim sumtus nonnul-
li, qui fiunt animo repetendi, cujusmodi exempla occur- 13.
runt in negotiorum gestione, ubi gestor contra principa-
lem vel ejus heredes agit, ut indemnis servetur tam ratio- 14.
ne

ne impensarum, quam lucri cessantis, *L. 2. ff. d. N. G.* Nam
dum gestor utilitatem sui principalis promovet, illique præ-
stat omne gestionis emolumentum, damnumque ex gestio-
ne non rectè administrata sarcire, *L. 6. §. 9. L. 8. §. 1. L. 23.
ff. eod.* imò omnem culpam, interdum etiam casum præsta-
re debet, si nimirum negotium periculi plenum subierit,
quod Dominus facere non sit solitus, *L. pr. ff. d. N. G.* æ-
15. quum est, ut propter præsumtam domini voluntatem, de qua
l. 5. pr. ff. de O. & A ille regressum habeat contra principalem,
16. ne hic cum alterius damno fiat locupletior.
Similiter quoad repetitionem impensarum sese res ha-
bet in mandato, ubi mandatarius à mandante impensas, &
17. omne quod ipsi occasione mandati abest, repetit per actio-
nem mandati contrariam, *L. 27. §. 4. L. 12. §. 9. ff. mand.*
18. Et has impensas repetit mandatarius etiamsi res mandanti sit
inutilis *L. 56. §. ult. ff. eod.* Sibi enim imputet mandans, quod
tale quid mandaverit, ex quâ nullam utilitatem vel capit,
19. vel capere potest; Quod tamen in hoc contractu est singu-
lare. Nam in negotiorum gestore alia est ratio, qui spontè
& sine mandato agit, debetque tale suscipere negotium,
20 ex quo certò sperat utilitatem in principalem redundare
posse. Propter identitatis rationem idem obtinet in quo-
21. cunque administratore rerum alienarum: In dubio enim
pietatis intuitu expensæ factæ non præsumuntur, quoniam
hoc facti est, & donatio non præsumitur; Hinc etiam si de do-
natione ex conjecturis non constet, repetitioni omnino e-
22 rit locus.
Qui vero sumtus ex pietate facti sint, & unde colli-
23. gatur, quod ex pietate sint profecti, infra suo loco erit ex-
plicandum. Ut enim ordine progrediar, agam de perso-
nis, inter quas fiunt hi sumtus, de rebus, de modo faciendi
hos sumtus, de probatione horum sumtuum, de fine &
effectu.

CAPUT

CAPUT II.

DE PERSONIS QVÆ SVMTVS FACERE POSSVNT VEL NON.

SUMMARIA.

An prius agendum sit de personis? 1.
De quibus personis hic agatur. 2.
Divisio personarum ratione familiæ. 3.
Quinam liberi sint in potestate Patris. 4.
Liberi possunt contrahere. 5.
An filiusfam. obligetur ex voto sine consensu patris? 6.
Pater potest revocare impuberum liberorum vota indistinctè. 7.
Puberum verò saltem vota realia. 8.
Exceptio. 9.
Quandoq; etiam personalia. 10.
Servi juris non sunt participes. 11.
Certo tamen respectu sunt participes. 12.
Possunt facere sumtus consensu Dominorum. 13.
Similes sunt servis homines proprii. 14.
Eorum conditio. 15.
Hi possunt sumtus facere. 16.
Uxor est in potestate Mariti. 17.
Competit marito coercitio. 18.
Eaque modica. 19.
Quæ in jure fundata. 20.
De rebus dotalibus mulier non potest facere sumtus. 21.
At benè de paraphernalibus. 22.
Et receptitiis. 23.
Pupilli non possunt facere sumtus. 24.
Ratio. 25.
Tutore autore possunt. 26.
Minores etiam inviti hodiè recipiunt Curatores. 27.
Et sine his non possunt facere sumtus. 28.
Ratio. 29.
Prodigus potest facere sumtus Curatore consentiente. 30.
Qui possunt facere sumtus. 31.
Divisio Procuratorum. 32.
Qui Procuratores possint sumtus facere. 33.
Obligatio mandatarii. 34.
Excessum non repetit. 35.

Ne quidem actione neq; gest. 36.
Aut praetextu aequitatis. 37.
Quandoq; tamen repetit. 38.
Potestas Procuratoris cum libera. 39.
Haec divisio est fundata in Jure Can. 40.
Non Civili. 41.
Procurator sine libera regulariter non potest donare. 42.
Procurator cum liberâ probabiliter. 43.
Tutores vel Curatores donare non possunt. 44.
Pupillorum vel Minorum tamen nomine sumtus pietatis facere non prohibentur. 45.
Non tamen indistinctè. 46.
Administratores Ecclesiarum & piarum domuum sunt devincti ad sumtus pietatis faciendos. 47.

1. EXpositâ descriptione sumtuum pietatis, monet ordo, ut
agamus de personis tanquam de potissimâ parte, & qua-
rum gratiâ omne jus constitutum est *L. 2 ff. d. stat. hom.* Nec
enim de jure vel injuriâ, justitia vel injustitiâ quaestio esse po-
test nisi adsint ad minimum duae personae, *Arist. lib. 5. Ethic.
Nicom. Cap. 3.* ubi dicit: *Necessario jus in quatuor minimum
versatur. Nam & quibus ut sit jus accidit, duo sunt (duae nimi-
rum personae) & in quibus jus ipsum situm est, res scilicet duae.*
Personae igitur considerandae sunt tam quae faciunt hos sum-
tus, quam quae recipiunt, aut quarum gratiâ impenduntur.
2. In hoc *Cap.* saltem agemus de iis, quae sumtus facere pos-
sunt vel non. Respectu autem juris, quod personae in fa-
3. miliâ consideratae habent, aliae sunt sui, aliae vero alieni ju-
ris. *tot. tit. de his qui sui vel al. jur.* Illae quae alieno juri sub-
jectae iterum non uno modo se habent. Sunt enim vel in
potestate patriâ, vel dominicâ. Prius videbimus illas, quae
sunt in patria potestate.
4. In patriâ potestate sunt non tantum liberi ex justis nu-
ptiis procreati, verum etiam qui perfecta adoptione ado-
5. ptati, arrogati vel qui legitimati sunt *L. 3. ff. de stat. hom.* Hi
quoniam cum extraneis de rebus suis contrahere & se obli-
gare possunt, modo aliud nihil obstet, *L. 57. ff. de jud. L. 39.
de O & A L. fin. §. 2. ff. de verb. oblig. Struv. Ex. 6. §. 42.* eti-
6. am sumtus rectè facere poterunt. Quaerendum tamen hic,
an

an filiusfam. ex voto obligetur sine consensu Patris? quod negandum, quia ex voto solum obligatur Paterfamilias & persona sui juris, quare ille hic excluditur. *Num. XXX. 4.5. Cap. Ex antiquis. 9. Dist. 54. Frantzk. Lib. 2. Resol. 3. §. 13. VVesenb. Paratitl. de Pollic. n. 4.* Quod tamen non ita simpliciter asserendum puto, sed facienda est distinctio inter liberos puberes & impuberes. Impuberum liberorum vota Pater 7.
quidem indistinctè potest revocare, sed si puberes, solet distingui inter vota personalia, quibus aliquis se obligat ad sacrum ordinem, ad perpetuam castitatem, jejunia, peregrinationem &c. Et inter vota realia. Hujus generis vota Pater 8.
licitè potest revocare; debet tamen revocatio statim fieri, simulac audierit, ne sciens tacitè consensisse vel approbasse putetur. Et tunc filius non obnoxius tenetur sponsioni eò quod pater contradixit nisi fortè habeat bona castrensia vel quasi castrensia, aut bona adventitia extraordinaria. De 9.
his enim rectè vovere, & sumtus pietatis facere potest, quoniam habetur pro patrefam: Personalia autem vota tunc de- 10.
mum irritari possunt à patre, quando vel officiunt domesticæ disciplinæ, vel patriæ potestati aliquod præjudicium creant. *Dn. Brunn. ad L. 2. ff. de Pollicit.*

In dominica potestate sunt servi & quodammodo 11.
homines proprii. Illi quoniam nullius juris sunt participes, nemini se obligare aut contractum inire possunt; Toti enim dependent ex nutu & arbitrio suorum Dominorum, & quicquid acquirunt illud Domino acquirunt sunt enim tanquam instrumenta *pr. I. per quas pers. nob. acq.* Non tamen hoc 12.
volo, quod servi nullius, ne quidem naturalis juris sint capaces, (etenim considerati ut homines omnino aliquo jure gaudent, quo respectu etiam dicuntur personæ in *L. 215. ff. d. V. S.* & Dominum sibi naturaliter obligare possunt, arg. *L. 22. ff. de R. I.* Hinc si servus à Domino occisus, pœnæ omnino subjacet) sed illud solum, quod ratione sui & in se considerati pro hominibus civiliter consideratis non habeantur. Cujus effectus inde possunt elucescere, quod non

 habe-

habeant personam standi in judicio in civilibus scil. benè autem in criminalibus, *L. 6. C. de jud. L. 44. §. 1. L. 53. ff. eod.* non possint esse testes, si veritas aliter haberi posfit, *L. 8. 11. C. de testib.* nec condere testamentum. Interim ta-
13. men ex voluntate Dominorum illos posse contrahere, & sumtus pietatis facere non est dubitandum.

14 Hujusmodi servis quodammodo similes sunt homines, quos vocant, proprij, cujus conditionis reperiuntur non solum in Germaniâ, sed etiam aliis provinciis, ut Galliâ, Bavariâ & Poloniâ, ubi tamen pro diversitate provinciarum diversi gradus & diversa servitia. Nobis ob propinquitatem notiores sunt illi, qui degunt in Ducatu Mecklen-
15. burgico & Pomeranico. Hi homines quoad statum pro liberis reputantur, unde non saltem bona quæsita sibi propria habere, commercia exercere ac sibi acquirere, verum etiam testamentum facere, in judicio stare, ac alijs civilibus juribus uti possunt. *Struv. Ex. 40. §. 72.* quoad operas tamen Dominis sunt mancipati, & pro portione fundi habentur, addictisq; glebæ annumerantur, ita ut ab eo fundo recedere illis non liceat. *Mev.* von Zustand der Bauren *|qu.1.num. 32. & Part.1.Dec. 9.n. 1.tt. Part. 3. Dec. 8.* liberi eorum sequuntur conditionem Patris, licet à matre liberâ sint nati, *Id. Part. 2. Dec. 232.* & si aufugerint possunt repeti à Domino summario processu, *Dec. 229* nec proderit illis ulla præscriptio, cum semper in malâ sint fide, nisi aliunde titulum libertatis habuerint, unde decem annis liberantur, *Mev. P. 1. Dec. 90.*
16. Hi de bonis propriis eatenus sumtus facere possunt, quatenus non præjudicant suis Dominis.

De uxore primo quærendum, anne sit subjecta pote-
17 stati sui mariti, illâ enim quæstione præjudiciali sublatâ judicare demum poterimus, an posfit facere sumtus vel non.
18 Et quidem generaliter assero: *Cuicunque competit modica coercitio, illi necesse est, ut competat aliqualis potestas.* Atqui concessum esse Marito jus modice coercendi uxorem probatur *arg. L. 3. §. 3. ff. ad SCtum Syll. Nov. 117. Cap. 14. vid.*

Carpz.

Carpz. Pr. Crim. qu. 12. n. 10. Magnif. Dn. Strykius, meus quondam Hospes ac Preceptor reverenter colendus, in Disp. de Alapa. Cap. 6. §. 6. Quam tamen potestatem non ita crassè & in- 19.
civiliter, sed civiliter & cum modestia intellectam velo, ita
ut talem coercitionis actum non exerceat maritus, nisi necessitate summâ id exigente, quod prolixius inculcat *Sanchez. de matrim. Lib. 10. Disp. 18. §. 14. 15. 16.* Verbis enim nihil operantibus tandem ad verbera deveniendum, instar Medicorum, qui lentis remediis non operantibus ad acriora solent descendere, licet ægrotis id ægrè patientibus. Firmiter E. concludo, quod maritis competat aliqualis potestas in suas uxores. Nec huic assertioni quicquam obesse poterit *§. 2. I. ad SCtum Tertull. L. 12. C. de collat. L. 5. C. de condit. insert. ibique Gloss. & Dd.* ubi dicitur, quod mulier maneat in potestate sui Patris. De jure Civ. enim certum est, compatibiles esse potestates, quam pater in filiam nuptam habet, & quam in eandem maritus. Sed moribus Saxonicis & moribus variarum Gentium Europæarum receptum est, ut mulier nubens ex patris in mariti transeat potestatem. *D.* Dietherr *in addit. ad Besold. Thes. Lit. F. n. 49. VVesenb. ad tit. ff. de rit. nupt. n. 6. ibique Dn. Hahn. in suis obser-*
vatis. Nec hæc consuetudo quandam irrationabilitatem 20
sapit, sed in jure Divino non parum est fundata, ut *Eccles. cap. 25. v. 34. & Gen. 3. v. 16.* ibi: dein Wille soll deinem Mann unterworffen seyn / und er soll dein Herr seyn; Quæ verba in quibusdam Bibliis ridicule fermè exprimuntur, cujus generis mihi quondam ostensa in Illustri Bibliotheca Wolfferbytanâ, ubi verba ita erant posita: Vnder der Macht des Mannes werstu wesende / un he schall aver dy Herschopen / dy vakene to pinigehende un to schlande. Ejus editionis Biblia etiam in hujus Academiæ Bibliotheca visuntur.

Certum igitur sit, quod marito competat potestas in
uxorem, An autem hæc potestas mulieri adimat potestatem 21.
faciendi sumtum jam erit examinandum. Et quidem de rebus dotalibus illam facere sumtus non posse expediti juris

est,

eſt, propter defectum dominii perfecti & conſtante matrimonio quieſcentis, cui accedit, quod per corporis dotalis imminutionem, fructus dotis, quem maritus ad ſuſtinenda onera matrimonii capere debet, non ſit imminuendus *L. 7. pr. ff. d. jur. dot. L. 20. C. eod. L. 21. C. de donat.*

22 Quid vero dicendum de bonis paraphernalibus, quæ mulier præter dotem attulit? De his donare aut ſumtus facere poſſe uxorem colligunt Dd. *ex L. 6. C. de rev. don. Struv. Ex. 40. §. 6. Dn. Brunn. Comment. ad illam legem.* Licet enim horum bonorum cuſtodiam habeat Maritus, eorum tamen nec Dominus nec adminiſtrator eſt. Conſil. Argent. *vol. 2. Conſil. 29. n. 12.* Hinc nihil erit quod impediat donationem (quamvis de Jure Sax. ſecus ſe habet, ubi maritus etiam horum bonorum uſumfructum habet) quod

23. magis verum in bonis receptitiis, Spielgühtern / quæ mulier ſibi propria ſervat & ipſa adminiſtrat, uti hoc teſtantur. *Tiraq. de jure Mariti. Gl. 8. n. 5. P. Barb. in L. 1. P. 1. n. 28. ff. ſol. matrim. & ex his Dn. Brunn. d. l.*

24 Sui juris homines iterum non uno modo ſe habent Alii enim ſunt ſub tutelâ vel curâ, Alii res ſuas ſibi habent, & pro arbitrio de illis diſponere poſſunt. Sub tutelâ vel cura degunt pupilli vel Minores, qui quoniam ſeipſos regere, rebuſque ſuis exactè ſupereſſe non poſſunt, donare aut

25. ſumtus facere prohibentur. Habent enim ſe inſtar cœcorum manuductore non gaudentium, qui in ſuis actionibus ubique offendunt, & propter defectum perfecti animi judicii blanditiis vel aliis rebus ſæpè inducuntur, ut donent facilè & diſperdant ſuas pecunias. Quod ut evitetur bene conſtitutum eſt, ut illis Tutores adjungantur, quorum auctoritate & conſenſu omnia negotia ad eorum utilitatem dirigerentur, ita, ut neglectâ illâ auctoritate negotium etiam lucroſum â parte illorum ſit nullum, niſi accedat præſens & pura approbatio *L. 9. ff. d. aut. Tut.* Et hoc non ſaltem juri Civili, ſed & naturali conveniens eſt, ut is, qui ſe ipſum regere non poteſt, ab alio ſit regendus; ipſius etiam reipublicæ in-

cæ in-

interest, ne quis re suâ malè utatur. *§. 2. I. de his qui sui vel al. iur.*

Ex his adductis liquet tum demum sumtus pietatis ab his erogari posse, quando id faciunt Tutore consentiente & approbante. 26
Quamvis enim pupilli regulariter ne quidem Tutore auctore donare possint. *L. 22. ff. de admin. Tut. Menoch. Consil. 221. n. 15. vol. 1. Guttierez. de Tutel. p. 2. C. 6. num. 6.* tamen sumtus pietatis pro ratione circumstantiarum facere non prohibentur. *L. 12. §. pen. ff. d. adm. Tut. L. 1. §. 4. ff. de Tut. & rat. distr. L. 4. ff. ubi pup. educ. deb.* Sic enim potest pupillus alere sororem, sic potest dotem dare sorori egenæ, similesque sumtus ex pietate erogare, *Thesaurus Dec. 102. n. 7. & 8.* potest etiam pupillus Tutore auctore moderatas facere eleemosynas. *Guttierez. d. l. n. 11.*

Similis ferè ratio est Minorum 25. annis Curatores habentium. 27
Et quamvis Jure Rom. minoribus invitis non facilè dentur Curatores, tamen hodierna consvetudine etiam invitis constitui possunt Curatores, uti hoc apparet ex *Const. Car. V. de Ao 1548. & Rudolphi II. de Ao. 1577. tit. 32. §.* So wollen wir / verb. daß denen pupillen und minderjährigen Kindern jederzeit / bis sie zu ihren volgebahren Jahren kommen / Vormunder und Vorstehere gegeben werden. Nam hodiè datio Tutoris vel Curatoris à quolibet Magistratu vi jurisdictionis fieri potest, modo pupillus vel minor sit subjectus ejus jurisdictioni, *dict. R. I. de Ao. 1577. Tit.* von Pupillen und Minderjährigen Kindern. Minor igitur Curatorem habens 28
absque consensu ejus sumtus facere non potest, *L. 4. C. d. præd. Min. L. 3. C. de in integr. restit. minor. L. 1. §. 3. ff. de minorib.* Nec hic ratio est obscura, etenim Minoris consilium admodum est fragile ac multis captionibus suppositum 29
multorumque insidiis expositum *L. 1. pr. ff. de Minorib.* Unde administrationem bonorum non habet; Quod adeò verum, ut si Curator negligenter tractet administrationem, & Minori facultatem disponendi concedat, administrationis periculum ad eum pertineat, *L. 20. ff. de rit. nupt. L. 21. C. d.*

adm.

30. *adm. Tut.* Pari ratione prodigus cui bonis interdictum est, non nisi consentiente Curatore sumtus pietatis facere valebit.

31. Qui res suas sibi habent, sive sint mares sive fœminæ, sumtus facere possunt modo consentire velint & possint; Nihil enim tam naturale est, quam voluntatem Domini rem suam tradere volentis ratam habere, §. *40. I. d. R. D.* & est quisque moderator & arbiter suæ rei, *L. 21. C. mand.*

32. Administratores rerum alienarum in duplici sunt differentia. Vel enim administrant res eorum, qui ipsi alienare possunt, vel vero illorum, qui non possunt. Prioris generis vocantur Procuratores. Et distinguntur illi non saltem in Generales, seu Universorum bonorum, quibus scilicet omnia bona administranda commissa, sed & Speciales, quibus certum negotium commissum. De his non dubitandum,

33. quin alienare aut sumtus facere prohibeantur, *arg. L. 12. C. de transact. Cap. f. de off. vicarii in 6.* nisi fiant mandato &

34. consensu Domini, Mandatarius enim directò & principaliter obligatur mandati fines diligenter custodire, & omne illud, quod occasione mandati abest, restituere. Hinc si

35. excesserit fines mandati, id quod ultra voluntatem mandantis impendit, repetere non poterit propter deficiens mandatum, *L. 41. ff. mand.* Et hoc adeò verum est, ut ratione

36. illorum sumtuum, quos sine mandato impendit, ne quidem habeat utilem negotiorum gestorum actionem: Quod licet nonnulli ex æquitate procedere existiment, inter quos Hunn. *resolut. ad Treutl. Disp. 17. §. 7. lit. G. q. 17,* illorum tamen opinionem tanquam absurdam merito reprehendit Bachov. *in §. 4. ad tit. mandati.* Hoc enim si procederet, legis dispositio redderetur elusoria, quoniam nihil, vel parum interesset quoad effectum, an mandatarius actione mandati, an vero negotiorum gestorum suum consequeretur. Præterea contra prohibentem & invitum geri sua negotia nihil potest intentari, *L. ult. C. de neg. gest. L. 40. ff. mand.* Nec hic

37. quicquam facere poterit prætextus æquitatis, quæ jam tum satis

satis in eo observatur, ut quoad præfixos terminos agere possit. Sibi itaque imputet, quod suâ culpâ id damnum sentiat, quod in jure sentire non videtur. Bachov. ad Treutl. *d. §. 7. lit. G. & in d.* §. 4. Harprecht. *ad §. 8. tit. mand. n. 2. & seq.* Quando tamen singularis pietatis ratio exigit, etiam tertius, invito Principali, aliquales pietatis sumtus nomine principalis facere & ab eo repetere potest, *arg. L. 14 §. 13. ff. de rel. & sum. fun.* 38

Generales Procuratores iterum dividuntur in Procuratores *sine libera*, seu simplices omnium bonorum, & Procuratores *cum libera* scilicet administrandi facultate, & sic hujus major est potestas quam illius. Hic enim non solum transigere, juramentum præstare & deferre, sed etiam solutionem acceptare, appellationi renunciare, & restitutionem in integrum petere potest. vid. Dn. Brunn. *Proc. Civ. Cap. 1. n. 8.* Carpz. *in Proc. Tit. 5. art. 2.* Quamvis autem hæc divisio in jure Civili non expressè reperiatur, tamen rectè defenditur ex jure Can. ubi generale mandatum ad ejusmodi actus non sufficit, nisi vel specialiter concessi, vel mandatum sit cum libera. Et hanc communem Dd. sententiam esse statuit Hahn. *ad VVesenb. Tit. de Procurat. num. 1.* per *Cap. 4. de Procurat. in 6.* Et licet in Jure Civ. reperiantur nonnullæ leges, in quibus sit mentio Procuratoris cum libera, ut in *L. 58 ff. de Procurat. & L. 9. §. 4. ff. de A. R. D.* ille tamen Synonymicè & explicationis gratiâ dicitur omnium sive universorum bonorum aut negotiorum. in *L. 17. §. f. ff. de jurej. L. 63. ff. de Procurat.* Ut ita de jure Civ. Procuratoris Generalis, & ejus, qui dicitur cum libera, sit una potestas, Vid. Hahn. *d. l.* 39 40 41

De Procuratore omnium bonorum *sine libera* expedita res est, quod nec ille possit donare, *arg. L. 12. C. de transact. & Cap. f. de off. Vic. in 6.* quin tamen ex gravissimâ causâ sumtus pietatis nomine Principalis facere possit, non est dubitandum. Pari & majori ratione is qui habet mandatum generale *cum libera* tales sumtus, qui probabiliter solent erogari à Domino, facere non prohibetur. 42 43

44 Qui administrant res eorum qui ipsi alienare prohibentur, cujusmodi sunt Tutores vel Curatores, res pupillorum vel minorum donare quidem non possunt, quoniam qui donat perdit *L. 7. pr. ff. de don.* quod nemini licet, nisi qui habet dominium illarum rerum: Si tamen de facto donaverint, donatio erit invalida. *L. 22. 46. §. f. ff. de adm. & per.*
45 *Tut. L. 22. C. de pact.* Pupillorum tamen nomine Tutores aut nomine Minorum suorum Curatores sumtus pietatis facere
46 non prohibentur. *L. 12. §. 3. ff. de adm. & per. Tut.* Exactè verò hoc casu debent ponderari facultates pupillorum vel Minorum, meritum vel vinculum illius, in quem faciendi sunt sumtus, aliæque circumstantiæ concurrentes. Hinc Tutores vel Curatores non saltem mercedes Præceptoribus suppeditare, & eas quidem non minimas, sed pro facultate patrimonii & dignitate pupilli, verum etiam alimenta servis præstare, dona nuptialia cognatis mittere possunt *d. L.*
47 *12. & 13. ff. eod. L. 4. ff. ubi pup. educ. deb.* Instar Tutorum vel Curatorum sunt Administratores Ecclesiarum & piarum domuum. Tales quam maximè sunt devincti ad sumtus pietatis faciendos, *Cap. aurum. 70. XII. 2.* ubi dicit Ambrosius, quod *Ecclesia habeat aurum non ut servet, sed ut eroget & subveniat pauperibus, in necessitatibus. Et melius est, ut Sacerdos propter alimonia pauperum res Ecclesiæ eroget, quam Sacrilegus contaminata asportet hostis.* Sed plura de personis sumtus facientibus addere non libet, pergo itaque ad

CAPUT III.

DE PERSONIS INTER QVAS FIUNT SUMTUS PIETATIS.

SUMMARIA.

In quas personas fiant sumtus pietatis 1.
Primariò pietas debetur Deo. 2.
Descriptio primitiarum. 3.
Etiam Ethnici solverunt primitias. 4.

Quan-

detrusos redimere. 79
Et mortuos sepelire. 80.
An funeris impensa nomine alimentorum contineantur? 81.
An frater teneatur dotare sororem inopem? 82.
An etiam sororem uterinam? 83.
Sumtus studiorum à fratribus in communi hereditate viventibus uni suppeditati, donati censentur. 84.
Uxor à marito alenda. 85.
Etiam indotata. 86.
Certo tamen casu. 87.
Quando culpa mariti separatio facta quoad thorum & mensam, uxori debentur alimenta. 88.
Si totalis separatio facta maritus si poterit liberare. 89.
Sponsa à sponso absente vel refractario alenda est. 90.
Mittitur in bona sponsi. 91.
Impensas in curationem uxoris ægrotæ factas non repetit Maritus. 92.
Modo non superent dotem illatam. 93.
Maritus uxorem mortuam sepelire tenetur. 94.
Ex uxoris tamen bonis. 95.
Quid verò si nulla bona intulit? 96.
Interdum gratum esse potest sepelire uxorem. 97.
Uxor maritum egenum alere tenetur. 98.
Discipuli Præceptoribus sunt obstricti ad mutua beneficia. 99.
Discipuli nonnunquam vocantur filii. 100.
Ob causam remunerationis datum non potest repeti. 101.
Patronus egenus alendus est ab Ecclesia. 102.
Vasallus tenetur alere Dominum egenum. 103.
Dominus tenetur alere Vasallum ex feudo ad se reverso. 104.
Donatarius tenetur alere donantem. 105.
Tutor interdum alendus est à pupillo. 106.
In omnes miserabiles & egenas personas sumtus pietatis rectè fiunt. 107.

Visis personis quæ sumtus pietatis facere possunt vel non, 1.
sistimus nunc personas in quas fiunt. Fiunt autem vel in Deum, vel in Patriam, liberos, Parentes, fratres, sorores, Præceptores aut benefactores, & quoscunque misericordiâ dignos; De quibus pro instituti ratione jam paucis agendum.

Primariò vero pietas debetur Deo; ab eo enim depen- 2.

det nostrum esse, & quicquid in hac mortalitate possidemus. Et quamvis omnia sint ipsius Dei, voluit tamen Deus, ut ipsi debitum honorem de proventibus nostris exhibeamus. Dom. Soto, *de Iust. & jur. Lib. 9. q. 3. art. 4.* quod ipsum ab omni antiquitate factum esse historiarum monumenta testantur, & ex S. Bibliis etiam notæ sunt decimæ, primitiæ, &

3. oblationes Deo factæ. Erant autem primitiæ partes ex rebus primum natis vel collectis Deo oblatæ, antequam usibus offerentium inservirent, *C. 1. X. de Decimis, primitiis ac oblat. C. Revertimini. 65. XVI. I.* Et hæc erat justa religio beneficum largitorem rerum omnium tanquam Dominum munere aliquo primo honorare. Quemadmodum enim alias utilis Dominus in recognitionem directi dominii Domino quid offerre solet, ita pium & justum est, ut velut in recognitionem Divini beneficii prima pars proventuum offeratur illi, qui est autor naturæ & omnis boni. Sic ex *Gen. IV. 3.* constat Cainem obtulisse de fructibus terræ munera Deo, & Abelem de primogenitis gregis sui & de adipibus eorum. Et de his primitiis in sacro Codice plurima recensentur præcepta, *Exod. XXV. XXXIV. 26. Num. XVIII. 13. Deut. XIV. 22.*

4. Petr. Greg Tholos. *Synt. I. Univ. Lib. 2. C. 19.* Et has primitias non saltem ab iis, qui veri Dei habuerunt notitiam, sed etiam ab Ethnicis ex instinctu naturæ esse solutas Historicorum scripta referunt. De priscis enim Romanis scribit *Plin. Lib. 18. C. 7.* illos non gustasse vina aut novas fruges, priusquã sacerdotes libassent primitias, olimq; ad statuas Mercurii in vias collocatas quas viatores ederent, ait *Suidas* teste

5. Petr. Greg. Tholos. *d. C. 19.* Quæ autem quantitas loco primitiarum sive primorum proventuum Deo sit offerenda, definitum non est, sed arbitrio & cujusque pietati est relictum *Can. Revertimini 65. XVI. q. 1.* vid. tamen Petr. Greg.

6. Tholos. *Partit. Iur. Can. L. 1. Tit. 24. C. 4.* Quamvis autem hæ primitiæ ipsi Deo immediatè offerri non possint, tamen Deo offerri dicuntur, si dentur Ecclesiæ ministris vel pauperibus, *d. C. Revertimini.* Joh. Bapt. Vivianus *in rationali Iur. Pontif. ad C. 1. vers. at vero primitiæ X. de Decimis.* Ob-

Oblationes in specie sunt res à piis & fidelibus Deo atque Ecclesiæ oblatæ. *C. Videntes 16 XII. 1.* Marcus Antonius de Dominis *de Republ. Ecclesf. Lib. 9. C. 4. §. 3.* Quæ oblationes, quamvis regulariter liberrimæ sint voluntatis, quandoque tamen fiunt necessitatis, quando scil. parochini coguntur ministro verbi Divini aliàs se sustentare non valenti, succurrere. *C. Charitatem 45. XII. q. 2.* Huc etiam spectant decimæ, quas fideles ex pio affectu de proventibus Deo persolvere solent *Cap. 5. 6. 22. X. de Decimis,* Sic quoque in Jure Rom. occurrunt textus, ubi Deo aliquid legari dicitur, *L. 1. §. 5. ff. ad L. Falcid.* & ubi ipse Dominus noster Jesus Christus dicitur institui heres, *L. fin. C. de SS. Ecclesf.* Hoc ipsum tamen, quod ita Deo relictum est, Ecclesiæ & pauperibus venit præstandum, *L. fin. C. de SS. Ecclesf. Matth. XXV. 35. & seqq.* In Deum enim tales sumtus fiunt, non qs. ipse indigeat, sed ut pauperibus succurratur. Marc. Anton. de Dom. *de Republ. Eccl. Lib 9. C. 4. per tot.*

7
8
9
10.

Licet verò Dd. statuant differentiam inter pauperes & mendicos, ut hi dicantur qui nihil habent nec habere possunt, & propterea panem ostiatim quærere coguntur; Illi vero, qui quidem aliquod, sed admodum tenue & non sufficiens habent patrimonium. Utrisque tamen succurrendum esse pro ratione necessitatis christiana monet charitas; Quippe à Deo est injunctum, ut esurienti frangamus panem, *Esaia 58. vers. 7.* & huc spectant innumeræ leges Divinæ de sublevandâ indigentiâ pauperum. *Deut. XV. 7. 8. Exod. XXII. 25. Levit. XXV. 25.* Vid. Jos. Arndii *Manual. LL. Mos. Dom. 7. de Doctr. Domi. militiaq. §. 4. & seq.* Omnibus tamen anteponendam esse necessitatem publicam totius universitatis, quando illa passa vel incendium, vel invasionem aut deprædationem hostilem, tradit Carpz. *I. E. Lib. 2. Tit. 21. Def. 327.* Ubi etiam adjicit, quod in distributione collectarum eleemosynarum faciendâ observari soleat æqualitas Geometrica, ita, ut dimidia pars impendatur in reparationem & reædificationem Ecclesiarum, parochialium & scholasticarum domuum.

12.
12.
13.
14.

muum. De altera vero dimidia tertia pars tribuatur refectioni domuum publicarum, residuum vero inter Cives singulos pro rata damni perpessi dividatur, cujus prærogativæ rationes & ibi videri possunt.

15. Non tamen simpliciter unicuique sub prætextu infirmitatis aut paupertatis statim est danda eleemosyna, *utilius* enim *esurienti panis tollitur, si de cibo securus justitiam negligat, quam esurienti panis frangitur, ut injustitiæ seductus acquiescat Can. 2. Caus. 5. qu. 5.* sed tum demum, si de inculpatâ egestate constat; Eò enim redacta est pravitas hominum mendicantium, ut vulnera, morbos aliosque defectus simulent, colore aliquo, vel herbis aut medicamentis morbi infirmitatisque alicujus speciem fingere conentur, & interdum sibi concilient, idque ob eam rationem, ut homines horrendâ illâ specie ad misericordiam commoveant, & ad largius dandum invitent. Quod insigne peccatum in China maximè frequens esse, Scriptores ejus regionis asserunt. vid. Erasm. Francisci, im Außlandischer Potentaten Sittenspiegel; Propter quam fraudem si de eâ constat, meritò gravibus pœnis coercendi. Cui rei remedium aliquod quærere, varii Legumlatores in variis rebuspublicis fuere solliciti, Petr.
16. Heig. *Lib. 2. q. 27. per tot.* Quid Imperatores Romani statuerint, apparet ex *L. un. C. de val. mend. & Nov. 80. Cap. 5.* Statutum enim est, ut mendicantium robur & integritas cor-
17. poris exploretur, inertibusque pœna imponatur, ut, si liberi sint homines, addicantur servitio colonario ejus, qui imposturam aut inertiam eorum prodidit; Si autem servi sint, proditor illorum dominium consequatur, salvâ tamen manente actione Domino servi corrupti contra eum qui servum corrupit. Per *Nov. 80. Cap. 5.* tamen potius ad publica opera, v. g. pannificia, hortorum operationem & similia mendicantes validi transferendi & alendi, quo ita segnem vitam in meliorem mutent Dn. Brunn. *add. L. 1.* Ne
18. vero Civitas his hominibus oneretur munus inquirendi in personarum mendicantium qualitatem ad Rectores Civitatum

tum

tum spectat. *Nov. 80.* quod & videtur injunctum in *Ordin. Pol. de Ao 1577. Tit. 27.* von Bettlern und Müßiggängern / ubi etiam dispositum, ut quælibet Civitas suos mendicos alat, & sic apud Ebræos quævis tribus suos pauperes sustinere debebat, *Levit. XXV. 35. Deut. XV. 4.*

19. Non reprehendendâ autem egestate laborare volunt personas religiosas, quæ religionis causâ mendicitatem professæ sunt, non quidem inertiæ gratiâ, sed ut rebus secularibus expeditæ eò liberius inserviant Dei ministerio; qualium mendicantiû sacras familias pontificij quatuor recensent, Divorum Augustini, Francisci, Dominici & Sodalitium Carmelitarum. Quin & hi miseratione digni sunt, qui acceptâ 20
aliqua clade fortuitâ lapsi sunt facultatibus, & mendicare palam erubescunt, iis namque subveniri æquum est. Joan. de Platea *ad L. un. C. de val. mend.* Isti enim artes & dolos mendicantium non exercent, nec facto suo aut inertiâ, quæ præcipuè plectenda, in id malum inciderunt. Vid. hæc & plura ap. Tholos. *Syntagm. jur. univers. L. 3. Cap. 6. n 10. & seqq.*

Non minus autem laudabile quam piè in nonnullis locis ædificia sunt exstructa, ad sublevandam miserabilium 21.
inopiam, constitutis ad id quibusdam reditibus ac censibus, cujus generis varia reperiuntur. Sunt enim vel Brephotrophia, in quibus educantur infantes nati, pauperes vel expositi, certis pecuniis ei negotio deputatis *L. 22. C. de SS. Eccl.* vel Ptochotrophia, in quibus aluntur mendici, non autem illi, qui ex proprio labore, si vellent victum parare possunt, aut aliunde licet parcè habent unde vivant, *L. 1. C. de val. mend.* Nosocomia, in quibus ægroti curantur, Leprosaria, Hospitalia &c. Si itaq; in tales pias domus eleemosynæ impenduntur, perinde est ac si sumtus in ipsos pauperes sit factus, qualis sumtus, si abusus absit, Iure Canon. non modo laudatur, sed etiam *in remissionem peccatorum injungitur,* addita promissione *indulgentiarum Cap. cum ex eo. 14. X.* 22
de pœn. & rem. Quamvis vero saniores Christiani ejusmodi sumtibus indulgentias papales coemere non laborent, pie tamen erogare solent. Similiter Ecclesiæ, Scholis, A- 23.

cade-

eademiis talis sumtus rectè præstatur, ut & in redemtionem captivorum aut ad stipendium piè relinquitur, Carpz. *P. 3. Concl. 4. Def. 34.* Et tantus est favor alimentationis pauperum & redemtionis captivorum, ut res sacræ & res Ecclesiasticæ hic possint impendi, *L. 21. C. de SS. Eccles.* qua de re plura dicemus infra.

24 Non incommode autem hic tractatur quæstio: An licitum sit Ecclesiæ quid donare absque consensu Superioris? Quod omnino de Jure Civili est affirmandum, *L. 1. C. de SS. Eccles.* Quin tamen utile sit, ut Magistratus ac Superioris consensus requiratur, dubium non est. Nam experientia docet, quanta per promiscuas largitiones in Ecclesias ipsi Ecclesiæ & reipublicæ sit creata calamitas. Unde in proverbium penè abiit: *Mater me peperit religio, sed filia consumsit matrem.* Et qui abusus occasione bonorum temporalium in Ecclesiam irrepserint, egregiè ostendit Marc. Anton. de Dom. de *Republ. Eccles. Lib. 9. Cap. 5. per tot.* Præterea per ejusmodi donationes, quæ Ecclesiis, Capitulis, Collegiis, Fratriis, Communitatibus, aut ejusmodi personis fiunt, maximum præjudicium Principi creatur, præsertim si sint rerum immobilium, ita enim res commercio eximuntur, ut ferè nulla redemtio aut ulla spes recuperationis superfit, cum nec semel quæsitæ distrahi, aut diuturna locatione alij promiscue concedi possint; Unde etiam dicuntur manus mortuæ, scilicet quod nunquam manus mutent, sed semper transferant in successores.

Quantum verò incommodi hoc secum trahat, exemplo suo docere nos poterit Bohemia, quæ ejusmodi donationibus fermè exhausta, ut redituum Imperatori debitarū, cum Clerus ferè omnia possideat, & lautè liberaliterque inde vivat parum superfit. Cui malo latius repenti jam tum *A. 1520.* Imperator Carolus V. remedium quæsivit, dum die 29. Octob. ejusdem anni per expressam Constitutionem bonorū immobilium acquisitionem & possessionem manibus mortuis interdixit, cujus exemplum postea etiam alii secuti. Consultius enim est Reipublicæ, ut prædia in manum vivam, vel perso-

personâ quæ infinitis mutationibus, & alternationibus obnoxia, transferatur, quo illa munera pro consvetudine loci persolvere possit. Ut igitur donatio horum bonorum Ecclesiæ vel Clero rectè fiat, quandoque necesse est, ut præcedat *Amortizatio*, quæ *est licentia retinendi bona immobilia per manum mortuam*. Hanc autem licentiam nemo concedere potest 25.
nisi Princeps, & in Gallia solum Regem posse dare jus morticinii seu amortizationis, non Patricium Franciæ aut Patronum mediatum feudi, testatur Tholosan. *Synt. Iur. univ. Lib. 6. Cap. 5. num. 9.* Qui tamen pro illa dispensatione in remunerationem capit tertiam partem valoris feudi, vel aliud, prout cum Rege convenit, in locum ejus juris, qnod ei decedit. Rebuff. *in 1. Part. Ord. Reg. Rubric. des amortiss.* Vid. pl. ap. Ahasver. Fritsch. *de amortizat. bonorum.*

Post pauperes, in quos sumtus pietatis fiunt, conside- 26
randi ulterius sunt Ministri Ecclesiarum & schclarum. His enim de necessariis ante omnia prospici & in hos sumtus pietatis fieri debere æquitati est consentaneum. Quod & satis injungit sacra pagina *2. Paralipp. XXXI. vers. 4. Matth. X. vs. 10. 1. Corint. IX. 7.* Nequaquam enim ferendum est, ut vel omissa cura sui officii curent terrenas *Actor. VI. 2.* vel panem mendicando sibi quærant. *Cap. Diaconi 23. §. Nunc*
autem. Distinct. 93. Et decet Parochianos, ut pro ratione sua- 27
rum facultatum & patrimonii ad salaria aliàs modica, & vix ad alimentationem eorum sufficientia contribuant. Non enim diminui sed augeri salaria & reditus ministrorum Ecclesiæ pium est, modo licitè & debito modo id ab illis exigatur. Qui enim de augendis reditibus quotidiè loquuntur & cogitant, sunt potius Institores quam Pastores, Carpz. Jur. Eccles. *Lib. 1. Def. 199.*

Nec minus succurrendum est illorum inopiæ, qui 28
per multos annos in Ecclesiâ docuerunt, & senio confecti muneris gravitati amplius præesse non possunt; Nam hos duplici honore dignos esse dicit Apostolus *1. ad Timoth. V. 17.* Multo minus itaque admittendum, ut eos viribus exhaustos deseramus, accedente insuper egestate, quæ etiam sola

nos adcommiſerationem & opem impertiendam permovere
29 debet. *1. Job. III. 17.* Neqne vero tantum ipſis miniſtris Eccleſiæ, ſed etiam illorum viduis ſumtus piè exhibentur. Unde in quibusdam parochiis optimè conſtitutum, ut in ſolatium orbitatis & viduitatis, defuncto Eccleſiæ miniſtro, ſemeſtria ſalaria liberis & ejus viduæ ſolverentur, & viduis de annuo quodam ſubſidio proſpiciatur.

30. Referri huc quoque poſſunt ſtudioſi, qui amore ſcientiæ peregrinantur & quaſi exules fiunt; Nam hi multis ſumtibus indigent & periculis ſe exponunt, ut propterea hos, animalia ſemper ferè & ubique prædicamento paſſionis ſubjecta vocet Limn. *Lib. 8. Jur. Publ. Cap. 9. n. 14.* quod quam maximè obtinebit, ſi teſte Petro Rebuffo *ad Auth. Habita C. ne fil. pro patre, pag. 6. 7.* & ex eo Carpz. illud vacuum,
31. quod Philoſophi nunquam dari ante hac ſtatuerunt, in eorum crumenis reperiatur; Et inde volunt Dd. quod, ſi quid ſtudioſo legetur ad ſtudia continuanda, vel donetur, id cenſeri factum ad pias cauſas Bolognett. *ad dict. Auth. n. 283.* Tiraquell. *de priv. piæ cauſ. in præfat. num. 26.* Et pro tali teſtamento, in quo ſtudiorum cauſa quid relictum reſpondisſe quondam Facultatem Juridicam Francof. teſtatur Dn. Brunn. a*d dict. Auth.*

32. Eum in finem, ut ſtudia rectius promoveantur, à piis ſtudiorum cultoribus certi annui reditus ac ſtipendia ſolent conſtitui. Ne tamen & hic fraus committatur, Inſpectores ſolent iis præponi, Unde vult Carpz. *I. E. Lib. 2. Tit. 21. Def. 328. num. 8.* quod ſtipendia abſque præſcitu Superintendentis non ſint conferenda. Sed hoc tunc demum admittendum cenſeo, ſi à fundatore ſtipendii non aliud ſit cautum. Et horum ſtipendionem tantus eſt favor ut non debeant ſequeſtrari. Carpz. *proc. Jur. t. 21. A. 2. n. 38.*

33. Hac occaſione quæritur: Anne ſtipendium certæ familiæ ad ſtudia relictum, ſi nullus in eâ ſit, qui ſtudia tractet, in alios pios uſus conferri queat? Quod nego cum Carpz. *P. 2. Conſt. 5. Def. 8.* Servanda enim potius voluntas Teſtatoris, quam contra eam quid ſine causâ attentandum, *L. 7.*

C. de

C. de testam. man. L. 31. in f. pr. ff. ad Sct. Trebell. Nec est in potestate privati, defuncti liberum qui semel placuit stylum, & liberum illud, quod nunquam redit arbitrium, mutare, Natt. *Consil. 7.* Hoc tamen suadet Carpz. ut hoc in casu pecunia collocetur ad licitas usuras, quo ita stipendium auctius reddatur; Sic enim voluntas testatoris ampliorem exitum habere poterit. 4
Quod si vero certæ personæ legatum studiorum causâ relictum E. G. si testator uni ex heredibus 35
certam pecuniam ad studia prælegaverit, legatarius autem non impleat conditionem, sed derelinquat studia, dubitandũm non est, quin exstinctâ illa conditione ad heredes revertatur, quia cessante causâ finali, etiam effectus cessare debet, *L. 75. in pr. ff. ad SCt. Trebell.* Et legatum relictum ob causam tacitâ voluntate intelligitur ademtum, si causa non impleatur *arg. L. 2. C. de his quæ sub modo.* Mantica *de conject. ult. vol. Lib. 6. tit. 14. n. 14.* Carpz. *P. 3. C. 13. Def. 26.*

Propter amorem patriæ debitum etiam in hanc sumtus pietatis rectè fieri debere apertissimi juris est; Non enim nobis solum nati sumus, sed ortus nostri partem patria sibi vendicat, partem amici, inquit præclarè Cic. Et ideo juris naturæ esse dicitur, ut patriæ pareamus *L. 2. ff. de I. & I.* & in casu necessitatis potius patriæ succurrendum est, quam Patri, per *L. 19. §. 7. ff. de capt. & postl. rev.* ejusque utilitatem in omnibus negotiis privatæ saluti esse præferendam monet *L. 3. C. de primipil.* Hinc etiam in jure gloriosum & dulce dicitur pro patria mori & fundere vitam, quam in eâ accepimus. Et passim illi, qui dato pretio tentant subterfugere patriæ munera, aut idoneos â procuratione utilitatis reipublicæ avocant, pœnâ digni dicuntur, *L. 4. §. 9. ff. de re mil. L. 16. ff. de mun. & hon.* Ut igitur impium est patriam deserere, *L. un. C. si Curialis delict. civ. L. pen. C. de rescind. vend.* ita eam juvare pium & justum censetur. 36 37

Post patriam agendum esset de Parentibus, Placet verò prius de liberis, in quos Parentes sumtus facere debere manifestum est, differere. Liberorũ autem appellatione veniunt nõ saltem liberi primi gradus, sed etiam nepotes, Pronepotes, 38 39

 cæte-

cæterique descendentes, *L. 8. ff. de agn. & al. lib. L. 201. 220. pr. ff. de V. S.* sive ex justis nuptiis sint nati, sive alio modo producti.

40 *L. 2. ff. de mort. inf.* ubi fit mentio partus excisi. Inter hos autem sumtus primum locum tenent alimenta, quorum causa pia & favorabilis dicitur *L. 14. §. 1. ff. de alim. & cib. leg.* Alimenta autem sub se comprehendunt omnia necessaria ad vitam, sine quibus corpus humanum ali, & vita commodè traduci non potest, ut sunt victus, habitatio, vestitus, *L. 6. ff. de al. vel cib. leg. L. 43. 44. 234. §. 2. de V. S.* imò etiam sumtus studiorum, si nempè alimenta decernantur ex jure sangvinis vel edicto Prætoris & jussu Judicis *L. 4. ff. ub. pup. educ. deb.* ibique Dn. Brunn. non vero si ex dispositione hominis, v. g. ex legato vel contractu, *L. 6. ff. de al. vel cib. leg.* Bart. *Tract. de alim. num. 3.* Vid. Struv. *Jurispr. Forens. tit. de leg. §. 17.*

41. Et quidem Parentes liberos tenere alere ex jure Naturæ constat. *pr. I. d. Iur. nat. gent. & Civ.* Schnob. *Disp. ad Dig. 14. §. 32.* nam qui alimenta denegat, necare videtur. *L. 4. ff. de agn. & al. lib.* Carpz *P. 2. C. 10. D. 18.* Cujus vestigia possumus cernere in ipsis brutis, quæ tamdiu fovent ex se nata, donec sibi ipsis quærere possunt victum; Et ipsa animantia sibi sæpè detrahunt, ut suis sit, unde vivant, & pro salute & defensione eorum caput in quovis periculo offerunt. Hinc etiam ab his sumendum argumentum, cum in filiis educandis adeò exsuperet amor paternus, ut semetipsos Parentes alere existimentur in filiorum educatione, quibus tanquam proprio semine procreatis sperant eorum speciem veluti insitione quadam diutissime conservari *L. 220. §. 2. ff. de V. S.* Indeque oritur ea juris præsumtio, quod Pater amare magis censeatur filium quam seipsum. Iste amor non saltem continetur in liberis primi gradûs, verum etiam extenditur ad nepotes, cum, uti Callistrates in *dict. L. 220.* loquitur, *æque dulci nomine possimus appellare nepotes, quam liberos,* & nomine liberorum etiam nepotes comprehendantur. §. 5. *I. qui testam. Tut. dar. poss.*

42 Debentur autem alimenta non solum liberis morigeris, verum etiam extenduntur ad immorigeros & malè moratos.

modo

modo non sint adeò ingrati erga parentes, ut planè societate paterna sint indigni & possint exheredari, ob dict. *L. 4, ff. de agn. & al. lib.* Non tamen propterea licitum est occidere suos liberos *§. 6. I. de publ. jud.* Imò etiam hic sumtus 43 præstandus Bannitis, quoniam hi retinent jura naturalia & Gentium, *L. 17. §. 1. ff. de pœn.* & filios qui bona à parentibus assignata dilapidarunt, *L. 8. §. 5. inf. C. de bon. qua lib.* Pro quo etiam facere videtur exemplum patris filium prodigum in gratiam recipientis *Luc. 15.* Quod an ex merâ gratia, anne vero ex officio factum, meum hic non est disputare. Similiter etiam extenduntur ad liberos emanci- 44 patos, uti textus est expressus in *L. 5. §. 1. ff. de agn. & al. lib.* Nec hic quicquam movet, quod ille non amplius sit in sui patris potestate, sed habeatur pro mortuo. Nam obligatio alendi non oritur tantum ex jure patriæ potestatis, sed etiam ex jure sanguinis, quod emancipatione non potest rumpi. Surd. *de aliment. Tit. 1. qu. 15. n. 20.* & propterea sumtus à Patre in liberos erogati ex pietate facti censentur.

Peculiaris etiam sumtus pietatis in filiam vel neptem 45 nuptias contrahentē erogatur, nimirum dos. Quamvis enim Parentes videantur satisfecisse suo officio, si liberos eò perduxerint, ut propriam familiam instituere possint, tamen merito Parentes aliquid erogant de vitæ instrumentis, ut liberi commodè familiam instituere valeant, & dum filia nubens in domum mariti transit, ac à marito imposterum alimenta exspectat, non immeritò pater congruam dotem ipsi constituit, cujus quidem maritus fit Dominus, nihilo tamen minus mulieris est proprium patrimonium. Si igitur Pater recuset 46 dotare, officio judicis ad dotandum compelli poterit. *L. 19. ff. de rit. nupt. L. 7. L. ult. C. de dot. prom. arg. L. 17. ff. ad SCtum Maced.* Hæc dotatio fieri debet pro modo facultatum & 47 dignitatis non saltem patris dotantis, sed & mariti, *L. 60. 69. §. 4. ff. de jur. dot.* Nam non opus habet Pater, ut tantum huic filiæ det in dotem, quantum illi dedit, sed pro dignitate Mariti huic plus, alteri minus erogare potest. Dn Brunn. *Comm. ad d. L. 60.* Excipiunt hic filiam locupletem, quam

dotare

dotare Patrem nõn teneri, si ipsa hoc possit, contendit Carpz. *P. 2. C. 40. D. 13.* Sed hoc dubium, cum Patri simpliciter onus dotandi incumbat, per *L. f. C. de dot. promiss.* Nec hic quicquam adferre poterit argumentum ab alimentis ad dotem quod solet desumi *ex L. 5. §. 7. d. agn & al. lib.* Nam alimenta dantur ob necessitatem, quæ cessat si filia dives. dos simul datur ob commoditatem, ut eo felicius maritum recipiat, & dos exigitur quia Pater est. vid. Gail. *2. Obs. 91. n. 4.* & in dubio semper pro dote pronunciandum *L. 70 ff. d. jur. dot.*

48 Quid autem si filiæ propria bona materna vel alia habenti Pater simpliciter dotem promiserit, anne ex suis dotasse intelligitur? Puto quod sic *per L. ult, C. d. dot. promiss.* ubi hæc habetur ratio, quod *LL. non sint incognitæ, quibus cautum, ut paternum sit officium dotem constituere pro suâ progenie,* quod etiam obtinere putant, etiamsi citra consensum paternum nubat, modo non nupserit indigno, nec Pater habeat justas dissentiendi causas, Sanchez *de matrim. lib. 2. D. 26. n. 17.*

49 Michalorius *de fratribus P. 3. C. 5. num. 13. 14.* Et quamvis aliàs administratores bonorum alienorum, non ex propriis, sed illius cujus bona administrant bonis aliquid solvisse aut expendisse existimentur *L. 43. §. 1. ff. d. adm. Tut.* Aliter tamen sese res habet in patre filiæ bona administrante propter favorem dotis, & quia onus dotandi ad patrem spectat. Mascard. *Concl. 1155.* Brunn. *ad d. L. ult.* quod tamen secus in matre esse putant.

50 De filia emancipata acris quæstio est inter Dd. anne sit dotanda? Pro negativa sententia pugnat Schnobel. *Disp. ad ff. 16. §. 10. ob L. 5 §. 12. L. 51. ff. d. jur. dot.* Sed potius dicendum illam esse dotandam, quoniam dos à pâtre non propter potestatem sed affectionem paternam constitui debet, quod & ipse Schnobelius fateri videtur de emancipata, quæ ex propriis sumtibus dotem constituere non potest. Occurrunt quidem textus è quibus colligere volunt, ne quidem inopi filiæ emancipatæ dotem esse dandam. Sic est *L. 19. ff. d. ritu nupt.* ubi id saltem dicitur de filiâ in potestate constituta, quod illi dos sit danda. Verum unius positio non statim

tim operatur exclusionem alterius. Est etiam *L. 51. ff. d. rit. nupt.* Sed ibi est talis casus ubi Pater filiæ emancipatæ quid donavit, & ex rebus donatis dos est constituta. Ubi non tam censetur à patre quam ab ipsâ muliere dos data.

51 De nepte solet quæri, An patre mortuo vel inope potius ab Avo paterno quam à matre dotanda? Et puto quod potius ab Avo. Nam regulariter officium paternum est dotem dare pro sua sobole & progenie, non maternum *Gloss. in L. f, C. de dot. promiss.* & verbum progenies comprehendit non saltem liberos, verum etiam nepotes, pronepotes & deinceps *L. f. C. d. nat. lib.* Nec hic quicquam adversabitur argumentum desumtum à prælatione successionis. Nam obligatio dotandi & alendi nihil habet commune cum jure successionis, quod exemplo patris & matris satis potest probari, qui licet æqualiter filio succedant, tamen solus pater tenetur alere & dotare. *Gratian. C. 259. n. 17.*

52. Et hæc sunt quæ obtinent in liberis naturalibus & legitimis simul, nunc etiam subjungemus Civiles nempe adoptatos & tandē naturales tantum Et quidem liberis adoptivis ex perfectâ adoptione esse danda alimenta nulla est dubitatio. Sed magis negotium facessit illud, Anne etiam, si extraneo in adoptionem dati, ab eo sint alendi. De hac re inter se non conveniunt Dd. & juris Interpretes, alii enim affirmativam, alii negativam amplectuntur sententiam. Ego sane qui inter discentes numeror, vix audeo certi aliquid hic statuere, cum nonnulli argumenta allegent pro utrâq; opinione, sed quam veriorem putent non aperiant, inter quos Alber. de Rosat. *in L. 6. ff. d. agn. & al. lib. in pr. num. 4.* Ubi adducit duas glossas sibi invicem adversantes, alteram affirmativam in *L. 45. ff. d. adopt.* alteram negativam in *§. 14. I. d. hered. quæ ab intest. def.* Interim tamen quoniam scio hoc esse exercitium Academicum, salvo uniuscujusque meliori judicio, cum Colero *de alim. Lib. 1. C. 4* descendo in castra affirmantium, refugiens *ad L. 45. ff. d. adopt.* ubi dicitur quod onera transeant in patrem adoptivum. Quæ appellatio o-

 nerum

nerum, licet sit paulo generalior, ita ut sub se comprehendat omnes expensas, potissimum tamen illam hoc in casu de alimentis intellectam volunt ob *L. 5. §. 12. ff. de agnosc. & al. lib.* Argumenta pro hac assertione huc referre non lubet, cui volupe est ea videre poterit ap. Colerum *loc. cit.*

53. Non etiam hic prætermittendum nonnulla dicere de filiis Spiritualibus ratione alimentorum, nam & hi quodammodo referuntur ad civiles. Et quidem quoad coactionem regulariter alimenta illis deberi non assero, hujusmodi enim Patres huic oneri non sese adstrinxerunt, quare etiam actus non debet operari ultra eorum intentionem *L. 19. ff. d. reb. cred.* Dn. Hahn. *Disp. d. alim. liber.* Illud tamen pietati & sacro illi officio omnino conveniens est, ut mortuis Parentibus de rectâ educatione illis prospiciant, & quantum fieri potest, illorum inopiæ succurrant, non enim aliter in hos sumtus faciunt, quam in pauperes. Satis etiam illud commendatur in Ordinatione Ecclesiastica Ducatus Gvelferbytani, cujus tenor, cum ad declarationem præsentis casus quam maxime faciat, illum verbotenus huc transcripsisse non pigebit. *Verba ita se habent.* Ihr werdet auf ereugende Nohtdurfft auch eure Wolthat en dem von ihm (nemblich den Paten) nicht entziehen / daß ihr ihm von und nach euren vermögen helffet und gutes thut / absonderlich darin / daß er zu einen gewissen Beruff und Stande erzogen und angehalten werde / in einem oder andern etwas tüchtiges und redliches zu lernen / damit er zu seiner Zeit Gott und Menschen dienen könne /

54 Liberos ex concubinâ natos de jure Civili alendos esse

55. constat ex *Auth. licet. C. d. nat. lib.* *Nov. 89. C. 12. §. 4. & C. 17.* ubi etiam aliis commodis fruuntur. Sed anne idem obtinebit in filio stupratoris? Quoad alimentationem affirmativa

56 certa est, quia onus alimentationis incumbit Patri *L. 9. C. d. patr. pot.* Sed non convenit inter Interpretes, â quo tempore hæc alimentatio incipere debeat, cum alii statim â tempore nativitatis, alii demum post triennium alimentationem initium sumere, & interea onus faciendorum sumtuum in infantem soli matri incumbere defendunt, pro quibus videtur

detur facere *d. L. 9.* ubi matri officium alimentationis intra triennium injungitur, quam sententiam defendunt Dan. Möller *ad Const. Elect. 27. Part. 4. n. 2. inf.* Hartm. Pist. *Obs. 97.* quo spectant versus *Glossæ in C. fin. verbo triennium, de convers. infidel.*

Mater alit puerum trimum trimoq; minorem,
Majorem vero pascere patris erit.

Melior tamen & juri convenientior est sententia statuentium, statim à die nativitatis deberi alimenta, cum secundum sententiam Carpz. *I. E. Lib. 3. Def. 81. num. 8.* ille textus saltem restringendus ad alimenta lactis, quoniam ante triennium infantes mammâ haut solebant depelli. Vid B. Dn. Hahn. *in suis obs. ad VVesenb. Tit. d. agn. & al. lib.* Pater enim si in filium ne quidem natum sumtus necessarios impendere tenetur *L. 5. ff. d. ventr. in poss. mitt.* multò magis tenebitur nato ad illa, quæ præter lac exiguntur, veluti vestitum, lectulum habitationem *L. 3. C. d. al. lib.* Carpz. *all. loc.* Dn. Brunn. *ad d. L. 9.* & ita judicatum refert Finckelth *Obs. 102. n. 16.*

Non tamen in infinitum debent extendi sumtus ali- 57
mentationis, sed obtinent saltem usque ad annũ discretionis qui solet esse 14. vel 18. & tamdiu donec filius se ipsum possit exhibere, *L. 5. §. 7. ff. de agn. & al. lib.* Nevizan. *in Sylv. nupt. Lib. 3. n. 15.* Carpz. *P. 2. Const. 10. D. 18.* Quod si autem stupra- 58.
argñ sit absens vel fugitivus, ex bonis ejus erit alendus infans, *arg. L. 3. § 7. ff. d. re mil.* Carpz. *I. L. Lib. 2. Tit. 14 Def. 242.*
Sed quomodo consulendum necessitati infantis, si stupra- 59
tor non habeat bona? Et eo casu ad avum Paternum tanquam Patrem devolvi onus alimentationis probatur *ex L. 5. ff. d. agn. & al. lib.* ita tamen ut de portione hereditaria, quam filius esset consecutus post mortem ejus, impensas detrahat, ne propter delictum unius reliqui liberi damnum sentiant, Jacob. Menoch. *Consil. 60, n. 6.* Aym. Cravetta *Consil. 89. n. 1.*

Nec saltem Pater Naturalis tenetur ad alimenta, verum 60
etiam ad dotem dandam filiæ, si modo non habeat aliunde

Nov. 89. C. 12. Gail. *2. Obs. 88. n. 7.* Nicol. Everh. *in top. legal. loc. ab alim. ad dot. num. 4.* Et hæc est communis Dd sententia, quos longa serie citat Co'er *Lib. 1. C. 3. n. 56* Fundat autem opinionem suam *in Cap. Cum. haberet. X. d. eo q. dux. in ux. quam poll.* Sed ista dos non æstimatur ex natalium splendore,
61. vel patris dotantis facultatibus, aut dignitate sponsi, uti alias solet fieri in liberis Naturalibus & legitimis *L. 60. & 68. ff. d. jur. dot.* sed solum constituitur ad necessitatem, & secundum mores regionis, modum ostendente JCto in *L. 68. ff. ad L. Falcid.* Boer. *Decis 127. n. 7* Hinc etiam illud quod ultra modum alimentorum sub specie dotis datum revocari potest ab heredibus, quoniam superfluum nec jure Civili nec Can. multo minus jure naturali debetur *L. 22. in pr. ff. d. cond. indeb.* Andr. Gail *d. l.* Dissentit quidem hic *Struv. Ex. 30. §. 9.* asserens dotem non deberi, sed *Consultiss. Dn. Præses Patronus & Præceptor meus honoratissimus* me docuit olim, intelligendum id esse de ea, quæ aliunde habet, cum quo concordat Schnobel. *Disp. 14. §. 19.*

62. Vulgo quæsitis saltem subministrat alimenta mater, dum enim hic non constat de certo patre, in subsidium illa tenebitur; Surd. *de alim. Tit. 1. qu. 15.* & ita responsum à Scabinis Lipsiensibus meminit Carpz. in paulo ante *alleg. Def. 81.* Verba sic se habent; das Kind aber mögen sie nach gelegenheit dißfals/ weil die Bettel selber nicht weis/ wer Vatter zum Kinde ist / zu alimentiren nicht angehalten werden. Putat
63 tamen Dn. Brunn. *in Comm. ad L. 5. ff. d. agn. & al. lib.* quod propter favorem alimentorum in dubio confessus tamdiu teneatur, usque dum etiam constet de aliis, quo casu omnes tenerentur, & si non constet de cæteris, confessum teneri ad integra alimenta, maxime si mater non sufficiat alendo puero Vid. & hic Carpz. *I. E. lib. 2. Tit. 14. Def. 232.*

Filii incestuosi, adulterini, aut ex nefario complexu
64 progeniti nec patri nec matri succedunt, adeo ut Jure Civ. ne quidem ex bonis Parentum alimenta petere possint. *Auth. Ex complexu C. d. incest. nupt. Auth. Licet in f. C. d. nat. lib.* *Nov.*

Nov. 89. C. 15. Jure verò Can. iste rigor est correctus; Nam successio quidem denegatur illis liberis, ast pietatis causa alimenta necessaria debentur, *Cap. 5. in f. X. De eo q. dux. in ux. quam poll.*; *Cap. 2. X. qui fil. sint leg.* modo aliunde non habeant unde se alant, Harppr. *ad pr. I. de hered. q. ab intest. def. num. 361.*

65 Sed quid dicendum de infante exposito ratione alimentorum, ubi neque de patre neque de matre, multo minus de ejus cognatis constat? Et hoc casu erit alimentandus & educandus à Magistratu, & in specie ab eo, qui habet jurisdictionem superiorem Carpz. *Pr. Crim. Part. 1. qu. 10. n. 26 27.* Dan. Moller. *Lib. 4. Semestr. 45. num. 6.* rationem reddit Carpzov. *in I. E. Lib. 2. Tit. 14. Def. 244. num. 7.* quod, licet causa curationis & educationis infantis expositi per se non sit criminalis, à crimine tamen expositionis oriatur, quod Iudex Superior regulariter solet punire, idque etiam obtinere vult, quando infans reperitur expositus in foribus templi, ubi alimenta non ab Ecclesia, sed à magistratu, qui merum habet imperium, subministranda. Quod tamen iterum temperat in *Iurispr. Forens. P. 4. C. 4. D. 10.* asserendo, tunc demum ita hoc sese habere, quando non adsint hospitalia, in quæ possint recipi. Aliàs si adsint, ad id censentur fundata, ut pauperes ibi recipiantur & ex proventibus sustententur, qua de re jam antea diximus. In Belgio infantes expositos ali à Communitate, Civitate, aut pago, in quo inventus infans testatur Sande *Lib. 2. Tit. 8. Dec. 4.*

66 Hæc itaque quæ diximus regulariter vera sunt de Patre. Non tamen in universum nego, quin etiam interdum alimentatio spectet ad matrem. Sed illud non nisi in subsidium & certis casibus *L. 34. ff. d. neg. gest.* inter quos esse volo, quando nempe Pater vel cæteri ascendentes lineæ paternæ sunt inopes, mater vero dives & amplam habet dotem. Paul. de Castro *Lib. 1. Cons. 76. in f.* quam opinionem communem esse testatur Lud. de Molina *Lib. 2. ae Hisp. primogen. Cap. 15. num. 3.* Et licet mater protestetur quod ani-

 mo

mo repetendi alimentá conferat, nihil támen operabitur illa protestatio, quoniam in eis, quæ quis ex necessitate juris tenetur facere, frustra protestatur Tusch. *Concl. 944. n. 41.* Surd. *Decis. 39. n. 28.* Volunt etiam quod si mater causam præbuerit divortio sumtus in sustentationem liberorum erogare debeat, non quidem in subsidium, sed principaliter, licet pater abundet divitiis, & divortium vel jure vel facto fuerit celebratum Pruckm. *P. 2. artic. 29. n. 9.* Panorm. *in C. ex*
67 *liberis 2. X. de convers. infidel.*

Quemadmodum autem mater in subsidium tenetur alere, ita etiam tenetur ad dotandam filiam tempore congruo, Bald. *in L. Neque mater. C. d. jur. delib.* cum in hoc pari jure censeantur dos & alimenta. Alex. *Lib. 2. Cons. 7. n. 2. & Lib. 9. Cons. 88. n. 2.* & hoc etiam procedit eo casu si filia inops, nec legitima ei sufficiat ad dotem *arg. L. 45. ff. sol. matrim.* Zoes. *ad tit. ff. d. jur. dot. n. 15.* Vel etiam si sit usufructuaria bono
68 rum omnium filiæ, Carpz. *P. 2. C. 42. D. 15.* Non tamen tenetur dotare mater secundum familiæ & mariti dignitatem, sed saltem quoad sufficientiam alimentorum, Cephal.
69 *Cons. 5. n. 63* An autem matri quæ nulla necessitate liberos alit propterea debeatur ususfructus bonorum suorum liberorum non caret dubio. De jure Sax. communi id obtinere testatur *Rauchbar Decis. 18.* & ex eo Dn. Struv. *Ipr. Rom. Germ. For. tit. de Patr. potest. §. 3.* quamvis asserat in Electoratu Saxoniæ aliud obtinere *per Decis. Elect. Noviss. 62.* Sed nostra quæstio erit de eo quod Jure Civ. obtinet. Et constat, quod mater, etsi tutelam liberorum sibi elegerit, non tamen possit petere usumfructum. Interim tamen quoniam mater non nisi in subsidium alere tenetur liberos *L. 5. §. 4. ff. d. agn. & al. lib.* videtur dicendum, quod illi usumfructum bonorum ad suos liberos spectantium petenti tantum concedendum, quantum ad alimenta filii necessarium, cum alias si non ex pietate impenderit, habebit repetitionem *L. 5. §. 4. ff. d. agn. & al. lib. L. 34. ff. d. neg. gest.*

70 Extra necessitatem si quid mater impenderit in liberos habe-

habebit omnino repetitionem,quia cessante ea non opus est sumtu pietatis, hinc si mortuo patre aluerit filium divitem, datur omnino repetitio, item si quid impenderit in res filii, E. G. in studia *L. 11. C. d. neg. gest.* non enim studiorum est eadem necessitas quæ alimentorum. Quod si vero mater 71 liberis suis Tutores vel Curatores petierit aut eos suspectos postulaverit, eâque ratione de suo quid impenderit, illud repetere non potest, quoniam ex pietate & affectione materna hos sumtus fecisse putatur *L. 1. C. d. neg. gest.* idque propter necessitatem petendi, quâ omissa jure successionis privatur Dn. Brunn. *Comm. ad d. L. 1.* Et sic cum pietate concurrit proprium negotium mulieris.

Ex obligatione naturali vicissim Parentibus nos esse 72 obligatos ex ante dictis facilè est concludere. Tantis enim beneficiis ab iis affecti sumus, ut ne quidem illis ennmerandis, multo minus rependendis simus pares. Habemus enim secundum Deum ab illis ut simus & id quod sumus, iis debemus nostra omnia & nos ipsos, necessariaque vitæ præsidia, *Pl. Rever. Dn. D. Meier in sua Analysi ad Arist. Ethic. Nicom. Cap. 2. Lib. 9. p. 395.* quare non saltem obedientia & reverentia eis præstanda in præmium generationis & educationis, verum etiam sumtus pietatis in eos faciendi. Et quam ma- 73 ximè decet liberos tanquam debitores, ut Parentibus res ad victum & amictum necessarias suppeditent, qua de re egregie differit Arist. ante memor. loc. Besold. *Pol. Cap. 13. n. 6.* quod ipsum adjuvatur textibus non saltem sacræ paginæ. *Salom. Prov. XXVIII. 24. Siracid. C. III. 14. & 18. Paul. 1. ad Timoth. V. 4.* Sed etiam juris civilis *L. 25. ff. d. hered. pet. & tot. tit. ff. d. agn. & al. lib. & par.* & Can. *Cap. 20. Dist. 86.* Nec hoc adeo mirandum dicit Carpz. *P. 2. C. 10. D. 29.* cum olim in extrema famis necessitate Pater liberos vendere potuerit *L. 2. C. d. patr. qui filios suos distr.* Non autem hæc alendi necessitas descendit ex jure patriæ potestatis, alias enim filius emancipatus ad alimentationem non teneretur, sed ex ratione naturali, qua benefacienti quilibet tenetur benefacere.

Paren-

74 Parentum autem nomine veniunt hic Pater Avus, Pro-avus & deinceps omnes superiores *Nov. 137. C. 7. in f.* imò etiam mater, avia & proavia *L. 51. ff. d. V. S. L. 5. §. 2. ff. d. agn. & al. lib.*

75 Incumbit autem hæc alimentatio tum demum liberis, si Parentes sint inopes & ipsi infacultatibus *arg. L. 6. C. d. servitut. L. 1. §. 4. ff. de tut. & rat. distr. L. 6. ff. de dol. mal.* vel si sint senilis & decrepitæ ætatis, ita ut suis rebus amplius superesse non possint, quo tamen casu liberi de parentum bo-

76 nis, si quæ habent, alimenta præbent. Sumtus autem pietatis non solum in parentes Legitimos sed & in naturales sunt faciendi *Nov. 89. C. 13.* imo etiam Pater adulterinus & incestuosus alimentandus, non quidem ex stricto jure sed propter æquitatem *Nov. 12, C. 2.* Nam licet ille sit contemtor LL. & impius, tamen Pater, est dicitur in *alleg. Nov.* Debentur etiam alimenta patri ingrato *L. 5. ff. ad SCtum Trebell.* hæretico, *Dd. per C. 1, Dist. 30.* quod adeo extendunt, ut asserant etiam locum habere in patre propter hæreticam pravitatem excommunicato *arg. dict. Can. & Cap. 103. quæst. 3.* quoniam non saltem fidelibus sed etiam infidelibus hæc pietas debetur; Non tamen Patri qui Majestatis est reus, & qui proditor hostisque Patriæ. Nam cum hic licitum filio impune occidere Patrem *l. 35. ff. de relig.* (quod tamen solent restringere ad casum, quando Pater est in ipso actu oppugnationis) multo magis rectè denegabit alimenta. Patri in insulam relegato de jure Civili non debentur alimenta. Sed JCtus Paulus hoc temperat in *L. 73. §. 1. ff. d. jur. dot. & L. 20. ff. sol. matrim.* asserens, quod honestè faciant liberi, si Parenti in insulam relegato præstent alimenta, nam per illam relegationem civilia quidem tolli possunt, non autem naturalia. Licitum etiam est filio Parenti deportato præbere alimonia (cui certo modo hodie comparatur proscriptus ab imperio sive

77 bannitus) *L. 16. ff. d. interd. & releg. Dd. per Auth. incestas, C. d. incest. nupt.* Horum alimentorum tantus est favor, ut etiam Dd. asserant, filium Monachum ad Patrem alendum è mona-

monasterio posse exire, *arg. L. 4. § ult. L. ult. ff. de re mil.* Joan. Bapt. Pontan; *tract. de alim. Cap. 9.*

Quid vero juris in matre ad secunda vota transeunte, Anne 78 erit dotanda â suis liberis? Puto quod non, per *L. 13. §. f. ff. d. adm. Tut. L. 1. §. 5. ff. d. tut. & rat. distr.* Quæ LL. licet loquantur solum de muneribus nuptialibus, tamen ex iis solet sumi argumentum contra dotem præstandam, quam communem Dd. opinionem esse statuit Joh. Bolognet. *in L 1. n. 27. ff. sol. matr.* Nec huic sententiæ obstare poterit argumentum probabile â dote ad alimenta ductum, quod frequens quidem, non tamen usque quaque firmum esse dicit Everhard. *in Top. leg. loc. 71. à dot. ad al. inf.* Sunt enim secundæ nuptiæ odiosæ & vix tendunt in commodum existentium liberorum. Interim tamen si contingat aliquando, ut mater ætate & forma integra adhuc se continere, aut extra matrimonium pudicè vivere non possit, illique non sufficiant facultates ad constituendam dotem, filios prioris matrimonii illam dotare debere putant Tiraquell. *de LL. Connub. L. 2. n. 6. & in Tract. de jure primog. qu. 62. num. 13.* Coler. *de alim. Lib. 1. Cap. 7. num. 7.*

Præter alimenta & quæ sub eorum nomine continentur e- 79
tiam pietati liberorũ convenit, ut redimant Patrem carcere detrusum, sicuti etiam ut Parentes inopes demortuos terræ man- 80
dari curent Menoch. *Cons. 116. n. 2.* Quamvis quidem non- 81.
nulli sint, qui expensas funerum nomine alimentorum contineri volunt, de quo vid. Coler. *de alim. Lib. 2. C. 1.* verius tamen est, quod appellatione alimentorum impensæ funebres propriè non contineantur, *arg. L. 6. ff. d. al. vel cib. leg.* quoniam cessantibus demum alimentis, & defuncto alimentario impendendæ veniunt. *L. 8. §. 10. ff. d. transact.* Carpz. *P. 2. C. 46. D. 23.*

82
Fratrem sororem inopem tenere alere textus est expressus in *L. 4. ff. ubi pub. educ. vel. mor deb. L. 13. ff. d. adm. & per. Tut.* Sed an illam quoque dotare debeat non caret difficultate, cum magni nominis JCti inter se discrepent, & alii af-

 firma-

firmativam, alii negativam defendant, allatis utrinque rationibus sat ponderosis. Mihi placebit sententia negativa quam *Dn. Præses Præceptor meus fidelissimus* me docuit, & in Colleg. Struviano nuper admodum exposuit, ut quæ juri convenientior. Nam frater dotans sororem egenam non præsumitur dotasse animo donandi, si alia conjectura contraria etiam levis capi potest, per quam semper excluditur donatio *L. 25. ff. d. probat.* Mascard. *de probat. Concl. 571. num. 12.* Ruin. *Consil. 223. num. 1. Lib. 1.* Menoch. *Cas. 88. n. 41.* Nec huic sententiæ quid derogare poterit *L. 12. §. 3. ff. d. adm. & per. Tut.* ubi dicitur quod Tutor non det dotem sorori pupilli sui alio Patre natæ. Ex quo textu contrariæ sententiæ defensores à contrario sensu argumentari volunt, E. dabit dotem Sorori germanæ vel consangvineæ. Consequentiam confirmant, quod argumentatio à contrario sensu non quidem simpliciter in Codice, bene autem in Digestis procedat. Sed si ex *d. l.* argumentum à contrario sensu formandum, ita formandum erit Si propterea pupillus non præsumitur dotem dari voluisse sorori, quoniam est uterina, sequitur quod præsumatur dotem dari voluisse, si non sit uterina sed Germana; à voluntate autem ad necessitatem nullum est argumentum. Igitur verum quidem est, quod frater honestè agat, si in subsidium germanæ sorori dotem det, quod vero præcisè ad hoc obligetur omnino negandum. Et ita in specie de fratre concludit Soc. *Lib. 1. Consil. 121. n. 14.* Quicquid vero hujus sit, communior Dd. sententia pro affirmativa pugnat. Tiraq. *de jure primogen. q. 62. n. 3.* Vid. etiam Dn. Brunn. *Comm. ad d. L. 12. §3. ibiq; Aut.* Non etiam desunt, qui dotationem fratris ad sororem uterinam extendere volunt, moti præcipuè his rationibus, quod jure Novo cognati agnatis in successione sint æquiparati *N. 118. L. f. §. 3. C. d. leg. hered.* (quod ex jure Digestorum secus) & ita sine distinctione esse dotandas, Campeg. *de dote qv. 23. pag. 1.* Tiraquell. *de primog. qu. 62. n. 3.* Gratian. *Discept. Forens. Cap. 65. n. 4.* Sed de hac assertione meritò dubitandum, cum in hac materiâ non agatur de successione.

Sed

Sed quid dicendum de sumtibus studiorum, quæ fra- 84
tri à fratribus in communi hereditate viventibus suppediti, anne illi donati censentur? Et puto quod sic, si nempe inter eos vel tacita vel expressa intercedat bonorum communio & communicatio lucri & damni *arg. L. 73. §. 1. ff. pro socio L. 39. §. 3. ff. fam. hercisc.* Nam si bona indivisa manserint absque communicatione, hoc non procedere existimat Sneidewin. *ad §. 20. I. d. act. n. 56.* Putarem tamen extra illam communicationem sumtus donatos, quod ex eo satis potest colligi, quod fratres non contradixerint, inter quos alias non rarò præsumitur donatio *L. 26. ff. d. prob. L. 38. §. 1. ff. d. don. int. vir. & ux.* Berlich. *P. 1. Dec. 8. n. 1.*

Propter dotis fructus & in compensationem operarum 85
uxorem à marito ali debere docet *L. 48. ff. d. Oper. lib.* Naturaliter enim debemus alere eum qui nobis operatur *L. 18. §. 2. ff. commod.* Et spectat hoc ad onera matrimonii, quæ
ad maritum pertinent *L. 20. ff. fam. ercisc.* quod & in uxore 86
indotata, cui scilicet nulla dos promissa, locum habere asserit Coler. *de alim. Lib. 1 C. 10. n. 4.* ibique alleg. Dd. cùm hoc casu mulier personam suam pro dote dedisse intelligatur.
Gail. *L. 2. Obs. 87. in pr. & Obs. 95. n. 16.* Sin autem dos pro- 87
missa, non vero soluta, maritum uxori alimenta denegare, & ad domum promissoris remittere posse colligunt ex *L. f. C. ad SCt. Vellej.* ibique Bald. & Castr. *L. 20. ibique Salic. ff. d. in rem vers.* Mynsing. *Cent. 1. Obs. 64.* quam sententiam tamen æquitati & juri minus esse conformem facile apparet.

Extenditur etiam hoc onus alimentandi mulierem eo 88
casu, quando separatio facta quoad thorum & mensam, scilicet culpa mariti, idque propter retentum usumfr. Nam si sua culpa abest mulier, & res suas recipiat, alimenta à viro petere
haut valebit. Carpz. *I. E. Lib. 2. Tit. 12. Def. 213.* Quod si ta- 89
men totalis separatio facta quoad vinculum ipsum, maritus à præstatione alimentorum se liberare poterit, *Id. Def. 214.*
Idem etiam obtinere volunt in sponsa, si sponsus absens vel 90
refractarius edictaliter citatus recuset nuptias: Tunc enim ad 91

 coer-

coercendam ejus contumaciam ſponſa mittitur in bona ſponſi, & ſimul carcere aut alio modo ejus contumacia punitur. Immiſſio ſolet fieri hoc modo; daß ſie als ſein Ehegemahl dieſelbe adminiſtriren, ihren unterhalt aus denſelben nach ſeinem Stande nehmen/ und im übrigen alle jura, welche ſonſten ehelichen Haußfrauen in ihrer Männer güter de jure & conſvetudine zuſtehen/ überall zugewarten und zugenieſſen haben ſoll. Herm Michael *Reſp. 12. p. 45.*

92 Illud quod maritus impendit in curationem uxoris ægrotæ, non poteſt repetere actione negotiorum geſtorum, licet expreſſe ſibi reſervaverit impenſas. Nam ſpectat ad onera matrimonii communem ſubire fortunam cum conjuge, onera autem matrimonii incumbunt Marito *L. 13. C. d. neg. geſt.* Variè tamen hac de re ſentiunt Dd. Surdus *in Tr. de alm. Tit. 1. priv. 13.* diſtinguit: An uxor ſit dotata, an habeat alia bona præter dotalia, an vero habeat patrem locupletem. Maſcardus vero aſſerit, præſumi maritum donaſſe ea, quæ impendit in alimenta & medicamenta uxoris ægrotæ, propter amorem conjugalem *Concl. 77. n. 12.* ſed Menoch. *Lib. 3. præſ. 33. n. 7.* exiſtimat ſententiam Maſcardi eſſe intelligen-
93 dam de illis rebus, quas præſtitit Maritus ultra debitum modum, & plus quam ferunt vires illatæ dotis, & ſui ipſius patrimonii, non de illis quæ reſpondent doti, cum ad ejusmodi expenſas de jure teneatur, per *L. 27. §. 8. ff. ſol. matr. L. 15. ff. d. don. int. vir. & ux.* quæ ſententia melioribus rationibus ſubnixa videtur. Imò uxori etiam indotatæ ſubveniendum eſt, & maritus ſibi imputet, quod indotatam duxerit, defectus enim dotis eum ab onere matrimonii non liberare poterit. Vid hæc & pl. ap. Brunn. *Comm. ad d. L. 13.*

94 Uxorem mortuam maritus etiam ſepulturæ mandare tenetur, ſi ea nec propria bona, nec dotem habuerit, quam ſi habet
95 ex illa erit funeranda. *L. 16. 17. 27. ff. d. rel. & ſumt. fun.* Expedit enim de ſuo mortuos funerari *L. 14. §. 13. eod.* Carpz.
96 *P. 3. C. 25. D. 9.* Quando verò pater mulieris eſt in vivis & mulier non intulit dotem, omnem impenſam præſtabit Pa-

ter,

ter, qui dotare debuit. Si vero pater non amplius sit in vivis, aut pauper, heres tenebitur. Si nec heres, maritus sumtus funeris præstabit in quantum facere potest, quia si jaceret corpus uxoris insepultum, hoc in ipsius injuriam redundaret *L. 28. ff. eod.* Garcias *de expens. C. 28. num. 74.* Vult quidem Carpz. *P. 3. C. 25. D. 19.* uxorem esse funerandam ex bonis mariti & heredis, quod restringendum ad eum casum, si ex pacto lucretur partem dotis. Posset tamen interdum 97
contingere, ut de hisce expensis nulla moveretur quæstio, præsertim in illis, quibus levius hoc onus præ aliis & gratior expensa, & quibus ut Chæremon vult, uxorem sepelire gratius ac melius, quam ducere, quod eo magis credendum, si vel Maritus Xantippen in matrimonio habuerit, aut si facies non uxor sit amata, & jam veniant rugæ & uxor incipiat senescere, ita enim Juvenalis Satyr. 6 in qua mirè depingit fœminas;

Si verum excutias, facies non uxor amatur,
Tres rugæ subeant & se cutis arida laxet,
Fiant obscuri dentes, oculique minores,
Collige sarcinulas, dicet libertus & exi
Jam gravis es nobis.

Quæ tamen non facio mea, sed aliis ponderanda relinquo, quoad priorem adstipulans opinioni Aul. Gell. *Lib. 1. Noct. Attic. C. 17.* asserentis, quod ejusmodi malum plus aloes quam mellis habens, meliori quo possis condimento ferendum.

Similiter jure quodam reciproco uxorem maritum e 98
genum alere debere evincitur ex *L. 73. §. 1. ff. d. jur. dot. Auth. Præterea C. unde vir & ux.* idque æquissimum, quia maritus & uxor sunt participes utriusq; fortunæ, *L. 22 §. 7. ff. sol. matrim.* Ex eadem quoque ratione uxor maritum inopem defunctum tenetur sepelire Carpz. *P. 3. C. 25. D. 7.*

Cum etiam naturali obligationi consentaneum, ut be- 99
nefacientibus beneficia rependamus *L. 25. §. 11. ff. d. heredit. petit:* amicitiaque nonnunquam comparetur consanguinitati, Brunn. *Comm. ad L. 44. ff. de neg. gest.* necesse etiam est ut concedamus, discipulos Præceptoribus suis esse

obstrii

obstrictos ad mutua beneficia, quod etiam probatur ex *L. 2. §. f. ff. de orig. jur.* ubi habetur exemplum Sabini sustentati à
100 suis Auditoribus, cum amplæ ei non essent facultates. Passim etiam à similitudine affectionis paternæ, qui erudiuntur doctrina aliqua à Præceptoribus, filii eorum dicuntur. Sic Salomon, quos erudit in proverbiis & alibi filios vocat. *Prov.*
101 *VI. & 1. Sam. III.* præceptor dicitur Pater. Hinc si ob caussam remunerationis eis quid datum vel concessum, nullo modo potest revocari, etiamsi postea ingrati existant. *L. 27. ff. d. don.* Cum enim in docendo improbus labor requiratur, & ex eo infinita commoda in discipulum redundent, vix est ut possit remunerari, quoniam spiritualia & animi bona corporalibus longe sunt præstantiora *L. 77. C. de SS. Eccl.* quod ipsum ille Monarcharum Monarcha Alexander M. optime secum revolvit, quando fassus est, se quidem à Parentibus vi-
102 vendi, à Præceptoribus vero benè vivendi rationē accepisse.

Non inconvenienter quoque huc referimus Patronos, qui propter æquitatem naturalem alendi ab Ecclesiis, Nam sicut ille dotavit Ecclesiam, ita & hæc iterum est obligata ad alia beneficia v. g. ad alimentationem *Cap. Quicunq; fidelium & Cap. Nobis 25. X. d. Jure Patron.* quod ita ampliatur, ut procedat etiam in alendis ejus liberis, uxore & tota familia *d. Cap. Quicunq; fidelium.* Menoch. *Consil. 321. n. 2.*

103 Vasallum Dominum incolumem quoad corpus præstare debere constat ex *2. Feud. 6. pr.* & tenebitur vasallus Dominum à fame liberare ipsiusq; salutem promovere *C. un. 2. F. 7.*
104 Qui autem denegat alimenta non defendit Dominum sed necat. Cùm enim Dominus vasallum pauperem ex feudo ad se reverso alere teneatur, multo magis tenebitur Vasallus id facere ex feudo quod ipse accepit, obligatur enim Domino ad antidora. Illa autem alimenta non quidem ex suo patrimonio, sed ex feudo, usque ad dimidiam fructuum unius anni præstare debet; Nam Vasallus Domino non ulterius est obligatus, nisi quantum ad feudum *§. Firmiter 2. Feud. 55.* Magnif. Dn. Stryk. *Exam. jur. feud. Cap. 18. qu. 33.*

Sicuti

Sicuti donans donatarium insigni aliquo affecit beneficio, ita hic iterum naturaliter est obligatus ad præstanda beneficia, & ad aliquos pietatis sumtus faciendos. Huc etiam referri potest quæstio de Tutore, An is in paupertate constitutus sit alendus ex bonis pupilli? Et *ex* §. *6. &* *L. 7. L. 4. ff. d. excus. Tut.* constat, pauperem excusari à tutela, quando nempe in tali conditione est positus, ut quotidiè manu suâ victum quærere cogatur, nec absque insigni dispendio victus sui tutelæ vacare possit, quæ excusatio cessaret si pupillus teneretur ad alimenta. Hinc de paupere ratione tutelæ suscipiendæ non erit quæstio. Itaque supponendus ille casus: Si forsan tempore susceptæ tutelæ Tutor sit dives, tempore vero administrationis propter incendium vel naufragium omnium bonorũ inops factus fuerit, an tunc in Tutorem pietatis sumtus sint faciendi? Et putarem quod sic, ob naturalem illam obligationem quâ obstrictus est pupillus Tutori tanquam benefactori. Nam dum hic interdum cum jacturâ suarum rerum pupilli bonis præesse, latam & levem culpam præstare, inque omnibus tanquam bonus Paterfam. se gerere & gratuitam operam præstare debeat, æquitati videtur consentaneum, ut illi iterum præstetur aliquod antidoron. Juvatur etiam hæc sententia *arg. L. 1. §. 6. ff. d. tut. & rat. distr.* Tandem in universum in omnes miserabiles & egenas personas sumtus pietatis recte expenduntur.

105

106

107

CAPUT IV.

DE REBUS ET MODO SUMTUS FACIENDI.

SUMMARIA.

De quibus rebus sumtus fiant. 1.

Res Sacræ & Ecclesiasticæ interdum alienari possunt. 2.

Graviter peccant qui bona Ecclesiastica ad turpe otium & saginandos homines futiles impendunt. 3.

Qua

Quæ requisita in alienatione rerum Ecclesiasticarum observanda. 4.
Faciendi sunt sumtus honestatis & pietatis amore. 5.
Sumtus pietatis non debent vergere in alterius præjudicium. 6.
Pater ultra legitimam suorum liberorum Ecclesiæ donare non potest. 7.
Alimentorum definitio & modus judicis arbitrio relinquitur. 8.
Ratio tamen habenda dignitatis & necessitatis personæ. 9.
In alimentis uxori præstandis dignitas mariti attenditur. 10.
Quos fructus percipiat uxor ex bonis mariti, quæ possidet jure retentionis. 11.
Quomodo fiant sumtus pietatis. 12.
Definitio voti. 13.
Divisio votorum. 14.
Vota realia transeunt in heredes. 15.
Simpliciter quid vovens non debet solvere deterius individuum. 16.
An liceat vota redimere aut mutare? 17.
Pollicitatio quid sit. 18.

1. Vidimus hactenus personas sumtus pietatis facientes & recipientes. Sequuntur nunc res de quibus fieri possint, & modus quomodo fieri debeant. Et propter brevitatis studium generaliter assero, quod de omnibus rebus, quæ sunt in commercio humano & alienari non prohibentur, sumtus pietatis fieri possint. 2. Quinimò propter favorem piarum rerum etiam obtinet, ut res sacræ & Ecclesiasticæ aliàs alienari prohibitæ, in alimentationem pauperum & redemtionem captivorum possint impendi, quia animæ hominum longè sunt præstantiores quibuscunque vasis *L. 21. C de SS. Eccles. Can. aurum 70. Can. gloria 71. XII, 2.* Et ut supra dictum est hic verus est usus bonorum Ecclesiasticorum, ut inde pauperibus subveniatur, facit huc *Act. II. 46. & 1. Tim. V. 16.* de quâ re latè agit Marcus Anton. de Dom *de Republ. Eccles. Lib. 9. C, 4. per tot.* ubi *n. 7.* inter alios egregium locum Augustini refert : *Quæ SS. Ecclesiis & fidelibus collata sunt, Episcopi, sacerdotes & Clerici dispensanda suscipiunt, & non recondenda, non possidenda sed eroganda. Quicquid habent*

bent pauperum est, & viduarum & Orphanorum, & eorum qui altari deserviunt, ut de altari vivant. Unde apparet quod 3
illi, qui bona Ecclesiastica ad fovendum turpe otium, ad saginandos homines futiles & desides, vel ad alios usus adhibeant, pauperes, imò ipsum Christum suo defraudent patrimonio: Hunc in sensum Urbani I. antiquissima epistola circumfertur. *Ipsæ res fidelium oblationes appellantur, quia Domino afferuntur. Non ergò debent in aliis usibus quam Ecclesiasticis & Christianorum fratrum vel indigentium converti: quia, sunt patrimonia pauperum, atq; ad prædictum opus explendum Domino traditæ. Si quis autem, quod absit, secus ageret, videat ne damnationem Ananiæ & Sapphiræ percipiat, & reus sacrilegii efficiatur.*

Circa Ecclesiasticarum verò rerum alienationem non 4
malè constitutum est, ut alienationum causæ ab Episcopo & Conventu Clericorum accuratè examinentur, & cognoscatur, anne alia ratione quam per alienationem rei Ecclesiasticæ necessitati aut pietati satisfieri possit, anne satius sit rem Ecclesiasticam potius oppignorare quam in totum alienare, & quænam minimo cum damno Ecclesiæ alienari possint *L. 21. C. de SS. Eccles.* quæ requisita si non fuerint observata, alienatio rei Ecclesiasticæ planè est nulla.

Ad modum faciendi quod attinet in universum sciendum 5
est, quod faciendi sint sumtus honestatis & pietatis amore, non jactandi animo & ex virtute Pharisaicâ, quæ à Christo satis improbatur *Luc. XVIII.* ita enim debemus pauperibus elemosynam elargiri, ut altera manus non sentiat quid faciat altera; Deus quippe est cordium & rhenum scrutator, intimos cordis recessus inspiciens, remunerationemque promittens pro meritis nostris.

Porro ita semper fieri debent sumtus, ne aliis fiat præ- 6
judicium *C. Quid ergò 3. XXIII. qu. 4. & ibi gloss.* Non enim prætextu piæ causæ alteri inferri injuria, aut injustitia committi debet, Sic libertatem etiamsi pia causa sit, contra de-

functi

functi voluntatem non esse dandam asseritur in *L. 7. C. de testam.*

7 *man.* Hinc etiam Pater ultra legitimam suorum liberorum Ecclesiæ nihil donare aut relinquere potest; quamvis enim piæ causæ major interdum sit favor quam liberorum, tamen hoc non est extendendum in fraudem legitimæ. Jul. Clar. *3. sent. §. Testamentum quæst. 6. v. 5. & quæst. 81 v. fin.* Non enim æquitati est consentaneum, ut Ecclesia, quæ cultrix justitiæ est, admittatur ad aliquod lucrum contra justitiam, & licet talis donatio sit favorabilis, tamen favorabilibus causis ita debet favor exhiberi, ut aliis non fiat injuria. Mascard. *Vol. 3. Concl. 1171. n. 77.* Besold. *3. Cons. 94. n. 7. Consult. Saxon. lib. 3. q. 9. n. 10. & 11.* Faciunt huc quæ Aristot. *lib. 9. Eth. Nicom. c. 2.* tradit, ubi examinat cui potius succurrendum & bene faciendum, ipse tamen fatetur vix posse generalem regulam hic tradi, sed sua cuique accommoda esse tribuenda.

8 Sed quæro hic de alimentis, quomodo præstanda? Et respondeo, quod regulariter Judicis arbitrio eorum definitio & modus relinquatur, facta tamen applicatione pro differentia personarum & necessitate, ampliora enim alimenta debentur nobili quam plebeio. Hinc si personæ alimenta relinquantur, cujus conditio fert ut currum habeat & equos alat, non est dubium quin sub nomine alimentorum etiam currus & equi contineantur. Similiter huc spectabunt famulus & ancilla, si alimentarii conditio ea sit, ut sine his vitam commode transigere non possit.

(9 in margin beside "ferentia personarum")

10. Uxori etiam à Marito separatæ vel quoad thorum & mensam, vel quoad vinculum ipsum nonnunquam ut supradictum alimenta præstanda, non secundum suam conditionem, sed dignitatem Mariti, licet sit ex humili sorte, illam enim tunc deposuit, quando nubendo in dignitatem & familiam mariti transiit *L. f. ib. Dd. C. d. incol.* à quo tempore non amplius ex ea familia unde ortum duxit, sed ex nova in quam ducitur censenda Mev. *P. 6. Dec. 37.* Aliud tamen dicendum quando uxor jure retentionis mariti bona tenet eaque administrat, Tunc enim

11.

non

non omnes fructus ex bonis provenientes lucratur, sed pro modo illorum, quæ uxor attulit: Ut quantum usurarum pro iis debentur repetenti, tantum alimentorum loco deducendum sit retinenti. Id. *P. 7. Dec. 138.* Et hanc distinctionem ratione dignitatis personæ observandam puto etiam in aliis rebus ut in sumtibus studiorum, funerum &c. qua de re nonnulla dicam in *Cap. 7.* ubi agam de actionibus.

Fiunt autem sumtus pietatis vel per actum inter vi- 12.
vos vel per actum ultimæ voluntatis. Per actum ultimæ voluntatis, quando vel in testamento, vel Codicillis, aut mortis causa aliquid pietatis causa relinquitur. Per actum inter vivos iterum variis modis fiunt. Vel per votum vel pollicitationem, promissionem, vel per actualem erogationem, quo posteriori tamen casu potissimum dicitur factus sumtus, priori casu tantum sunt promissi & faciendi. Defini- 13
tur autem votum, quod sit promissio aliquid faciendi dandi aut non faciendi Deo facta, *l. 2. ff. de Pollicitat. & ibi Dd. t. t. X. de voto & voti redemt.* Debet autem in voto adesse libera voluntas, vovere quippe est voluntarium sed adimplere necessarium *c. licet 6. X. de votis* quæ igitur voluntati liberæ obsunt, & pactiones consensumque impediunt, veluti error, metus, deceptio dolus &c. à voto excusant *C. per totum 22. qu. 4.* Varia autem votorum sunt genera, vel 14
enim sunt Pura quæ statim solvenda si possint, alias parva dilatio permissa, vel Conditionata, in quibus non prius quis obligatur, quam exstiterit conditio. Vel sunt Realia vel personalia. Illa transeunt ad hæredes, non hæc, *Cap. 5. X. de* 15.
vot. Covarr. *in Cap. si heres X. de testam. n. 9. & seq.* Hinc si forte decimam quis vovit, & decesserit ante præstationem, heres ipsius hereditario nomine decimæ obstrictus est, potissimum si jusserit, qui vovit, heredi illud exequi, quia executio non pendet ab ipsissima persona promittentis.

Hoc tamen hic moneo, quod ille qui simpliciter se da- 16.
turum vovit non debeat solvere deterius individuum. Maledictus enim qui habet in grege sua masculum & votum

 faciens

faciens immolat debile Deo *Malach. I. 14.* Et quamvis in indefinitis ex interpretatione quod minimum est veniat, favore promittentis *L. 75. ff. de leg. 3. L. 39. §. 6. de leg. 1.* tamen favore religionis de melioribus est offerendum *L. 43. in f. ff. de rel. & sumt. fun.* Sic enim testabitur suam erga Deum piam voluntatem. Quod si autem judicio cogendus sit, mediocrem rem præstabit *L. 38. §. 1. ff. de aur. & arg. leg.*

17. Occasione hujus hic quæro: An licitum sit vota semel data redimere aut in aliud quid commutare? Puto quod sic, si in melius mutentur; Qui enim votum in melius mutat illud non frangit. *C. 4. 7. X. de votis. C. 3. X. de jurej.* Sic peregrinationes possunt redimi eleemosynis, quoniam in melius quid commutantur, quod non minus verum existimo in jejuniis, quin enim ejusmodi beneficia pauperibus exhibita gratiora sint Deo, quam peregrinationes nullum est dubium. Si igitur mutetur votum, qualitas voventis & causa mutationis considerari debet *Cap. 1. C. 7. X. de vot.* Sic Paulus non fregit votum, *quando, cum ad Hispanos se iturum promisisset, dispositione Divina majoribus occupatus ex causis implere non potuit quod promisit*, sunt verba Gelasii *C. 5. XXII. 2.* Nec statim frangit votum, qui illud justâ ex causâ adimplere differt *C. 5. C. 8. X. de votis.* Illi tamen qui Pontificiæ religioni sunt addicti, Papæ dispensationem in eo casu requirunt. In deterius tamen sine gravi piaculo vota mutari non possunt. *C. 1. X de vot.*

18. Pollicitatio de qua mentio facta, est spontaneum & nudum offerentis promissum reipublicæ factum, *L. 3. pr. ff. de pollicit.* Struv. *Ex. 50. §. 34.* Quamvis vero aliàs nulla donatio aut promissio obligatoria, nisi alterius accesserit acceptatio, si tamen reipublicæ facta pollicitatio, acceptatione alterius non est opus. Hillig. ad Donell. *Lib. 10. C. 15. lit. A.*

CAP.

CAPUT V.

DE PROBATIONE.

SUMMARIA.

UT vero persona, cui sumtus pietatis promissus, hos obtinere, & illa in quam jam factus est, contra repetitionem se defendere possit, sæpius opus est probatione: De quâ jam paucis erit agendum. Et quidem probatur iste sumtus vel per veras & plenas probationes, vel per semiplenas probationes, vel denique per præsumtiones & conjecturas. 1.
Ut verò in aliis negotiis probatio fieri solet per instrumenta & testes, ita etiam hi sumtus vel per instrumenta vel per testes probantur. Et quemadmodum in aliis negotiis, de quibus quæstio est, quâ mente & quo animo facta

 sint

ſint, difficilior ſæpè eſt probatio, & multum conjecturis & præſumtionibus eſt tribuendum, *Dn. Præſes in Lect. Priv. ad Dig. tit. de probat.* Ita hic quoque ex variis circumſtantiis colligendum, an quis ex pietate & humanitate, an verò animo repetendi hos fecerit ſumtus. Circumſtantiæ principaliores hic ſunt conditio perſonarum quæ faciunt & quæ recipiunt ſumtus, modus dandi hos ſumtus, quantitas ſumtuum, finis & intentio.

2. Conditio & reſpectus perſonarum dantium & recipientium ſumtus magnam hic ſuppeditat præſumtionem. Quotiescunque enim inſignis affectio domeſtica in dante erga accipientem, in recipiente vero inſignis neceſſitas adeſt, ſumtus ex pietate factus facilè præſumitur. Talis affectio domeſtica eſt inter conjuges, inter Parentes & liberos, inter fratres & ſorores, cognatos, affines.

3. Ratione conjugum, ea quæ maritus in curationem ægrotæ uxoris impendit, ex pietate feciſſe cenſetur. Ut enim maritus cogitur alere uxorem, ita etiam impenſas curationis, præſertim ſi modicæ ſint, æquo animo ferre tenetur.
4. Quoniam tamen mors ſolvit hanc ſocietatem conjugalem, ſumtus funebres à marito impenſæ non ſtatim cenſentur ex pietate & humanitate facti, niſi aliæ circumſtantiæ concurrant. *L. 14. L. 16. L. 20. §. 1. ff. de relig. & ſumt. fun.*

Ratione liberorum & parentum ex affectione paterna
5. maxima oritur præſumtio pro ſumtibus à Parentibus in alimenta & ſtudia liberorum erogatis. Sic à *JCtiſſimo Dn. Stryk.o* me advertiſſe memini: Quotiescunque in expendente adeſt ullus Parentelæ reſpectus, & in accipiente ma-
6. gna indigentia vel neceſſitas, toties expenſæ præſumuntur animo pietatis factæ. Sic enim ab utrâque parte cauſa impulſiva occurrit pietatis officia eliciens, nempè à parte expendentis reſpectus parentelæ, à parte vero accipientis magna neceſſitas; Ita ſi pater in liberos ſe alere non valentes ſumtus fecerit, ex pietate feciſſe præſumitur. *L. 11. L. 15. C. de*
7. *N. G. L. 17. L. 34. L. 44. ff. eod.* Quod adeo verum eſt, ut

etiam

etiam necessarii sumtus studiorum à patre impensi ex pietate facti præsumantur, nisi animus credendi fuerit probatus, *L. 50. ff. fam. ercisc.* & ibi Brunn. Berlich. *P. 2. D. 249.* Huc etiam referunt sumtus in peregrinationes studiorum causâ susceptas, item in libros studiis academicis necessarios erogatos. Simili ratione mater & avia ex pietate liberis egenis sumtus in alimenta erogatos, suppeditasse censetur, nisi ex aliis circumstantiis alia apparuerit conjectura, *dict. L. 11. C. L. 34. ff. de N. G.*

9 Porro inter fratres & sorores quandoque sumtus ex pietate factus præsumitur, si nimirum dans sit locuples, recipiens verò egenus, & sumtus sit modicus & in honestum finem erogatus, uti tradunt Dd. *ad L. 16. C. de neg. gest.* Facit huc *L. 12. ff. de adm. & per. tut. L. 27. §. 1. ff. de N. G.* Sichard. *ad L. 1. C. de N. G. num. 5.* Et quamvis ultra fratres 10 & sorores sanguinis vinculum multo minus inducat præsumtionem sumtus ex pietate facti. Si tamen aliæ circumstantiæ concurrant, nimirum opulentia dantis, & indigentia accipientis, sumtuum modica quantitas, pepetitio per longum tempus intermissa, præsumtio non levis enascitur. Mev. *P. 4. Dec. 317. num. 4.*

11 Affinitas etiam per se talem præsumtionem non inducit; Nec enim vitricus, nec noverca in privignum sumtus ex pietate erogasse censetur, nisi aliæ gravissimæ concurrant circumstantiæ. *L. 15. C. de N. G.* Tabor. *in Relat. Arg. Rel. 114. num. 8.* ubi dissentienti Gothofredo respondet. Si tamen & hic graves circumstantiæ concurrant, nihil obstat, quo minus sumtus pietatis præsumatur. Nam & in 12 extraneo propter graves circumstantias etiam sumtus ex pietate factus quandoque præsumitur, v. g. Si alius egenti sumtus animo donandi suppeditare vel debuisset, vel voluisset, præveniens aliòs erogando sumtus ex pietate hos fecisse putatur, *L. 2. & ibi Gloss. C. de N. G.* Coler. *de alim. C. 5. num. 13.*

13 Non tamen semper pium opus exercens sumtus ex pietate:

tate feciſſe & donaſſe cenſetur; Nam diſtinguendum inter cauſam protacarcticam & cauſam finalem; Licet enim pietas ſit cauſa protacarctica ſumtus faciendi, non autem cauſa finalis, non cenſetur animo non repetendi factus eſſe ſumtus. Præterea aliud eſt ex pietate ipſos ſumtus facere, aliud eſt ex pietate aliquod factum præſtare. Quare ſi quis ſingulari pietate motus negotium alienum ſuſcipiat, ut quidem operam gratis præſtet, non tamen ipſos ſumtus animo non repetendi impendat, non prohibetur illos ſumtus repetere, v. g. Si aliquis ex humanitate vel miſericordia ſumtus erogat ad ſepeliendum cadaver, ne inſepultum jaceret, nullum eſt dubium, quin & talis piè ſumtus expendiſſe dicatur,

14 etiamſi habeat animum repetendi *L. 14. §. 7. ff. de rel. & ſumt. fun.* Iſte autem animus quomodo poſſit probari Judicis arbitrio relinquitur, ut ille æſtimet, an negotium quis geſſerit vel defuncti, vel heredis, vel miſericordiæ. Tutius ergo erit hoc in caſu ut expendens proteſtetur, quo animo expen-

15. dat. Aliàs expenſas funebres ex veriſimilibus conjecturis probari poſſe dicit Bald. *in L. 4. C. de hered. pet.* quibus deficientibus interdum per juramentum probantur, ſi ſint modicæ & neceſſariæ, *Gloſſ. in L. Scimus, §. in computatione, verb. approbaverit C. de bon. quæ lib.* Carpz. *P. 1. C. 28. D. 42. num. 5.* nonnunquam etiam ſine juramento, ſi perſona ſit fide digna nam ſuper re parvâ conficere ſemper inſtrumentum non eſt neceſſe, Maſcard. *Concl. 719. n. 3* Sed longe plura hic circa materiam probationum ſubjungi potuiſſent, ſi prolixitate Diſputationis metas excedere auderem. Pergo igitur ad

CAPUT VI.

DE

PRIVILEGIIS.

SUMMARIA.

Connexio. 1.
Eccleſia dives habetur etiam pro perſona miſerabili, 2.
Paſtori Eccleſiæ ſi quid relictū non eſt legatum ad pias cauſas. 3.
In

In relictis ad pias causas duo saltem testes requiruntur. 4.
An sufficiat sola Scriptura relinquentis. 5.
Legata Ecclesiæ relicta, si indebitè soluta, non repetuntur. 6.
Legata ad pias causas etiam ante hereditatis aditionem peti & solvi possunt. 7.
Etiam pauperes heredes institui possunt. 8.
Legatum pauperibus relictum nullam patitur dilationem. 9.
Advocati pauperibus gratis patrocinium præstare tenentur. 10.
Pauperes nonnunquam alendi sunt ab adversariis. 11.
Pauperes ad juratoriam cautionem admittuntur. 12.
Possunt propriâ autoritate legatum capere. 13.
Alimenta non possunt sequestrari aut arrestari. 14.
Sententia pro alimentis & dote lata non admittit appellationem. 15.
Privilegia mulieris ratione dotis. 16.
Hac privilegia etiam transeunt in heredes descendentes. 17.
Dos præfertur legitimæ. 18.
Exceptio. 19.
Mulier pro marito mutuum sumens ad consequendam libertatem obligatur. 20.
Studiosorum libri non possunt facile arrestari. 21.
Studiosi sunt immunes à vectigalibus. 22.
In mutuo studiorum gratiâ contracto non habet locum SCt. Macedon. 23.
Funeris expensæ omni credito præponuntur. 24.
Modo sint necessariæ. 25.
Idem in expensis in curationem ægroti factis. 26.

EGimus in priori Capite de modo faciendorum sumtuum, sequitur ut nonnulla adjiciamus de privilegiis. Privile-
gia autem varia sunt, nos pro ratione materiarum antea ad- 1.
ductarum nonnullarum mentionem faciemus. Et quidem
Ecclesiam, licet sit dives, haberi tamen pro persona misera- 2.
bili & frui privilegiis ejusmodi personis competentibus asserit Covarruv. *pr. qu. Cap.* 7. qui favor etiam solet extendi ad alia pia loca. Non tamen privilegia illis tributa pertinent
ad singulos pro diviso, sed ad omnes universim sumtos. Sic 3.
non est legatum ad pias causas, quando Pastori alicujus Ecclesiæ vel alij ministro quid relinquitur Carpz. *P. 3. C.* 4.

D.34. arg. C. relatum est 12. vers. nomine autem Ecclesiæ X. de testam. quare etiam eo casu non valebit, nisi adhibitis ad minimum quinque testibus. Aliud tamen dicendum putant si non certæ personæ sed certo personarum ordini & successoribus relinquatur.

4. Relicta ad pias causas quocunque modo, sive per heredis institutionem, sive per modum legati aut Codicilli relicta subsistere, si modo duo testes adhibeantur ex constitutione Pontificis Alexandri III. *in Cap. relatum 1. X. de testam.* statuit Carpz. *P. 3. Const. 4. D. 33.* Ubi etiam contendit communem Dd. opinionem esse, quod sine testibus ejusmodi legata non subsistant, etiamsi manu testatoris sint scripta. Quod tamen non admittendum putat Struv. *I. For. lib. 2. tit. 16. §. 13.* sed veriorem illorum sententiam existimat, qui solam scripturam sufficere statuunt, licet non adsint testes, modo certo constet de voluntate disponentis. Nam in genere statuunt Dd. Quod juris est in testamento patris inter liberos, illud etiam in testamento ad pias causas. In illo autem sufficere scriptionem vel generalem subscriptionem testis est Carpz. *P. 3. C. 4. D. 18. n. 3.* Alii autem existimant ad ipsum actum testandi non requiri duos testes *Boer. Dec. 140.* sed saltem ad agnitionem manus testatoris, exemplo militis, cujus testamentum valet sine ulla solennitate, modo sit scriptum in clypeo ejus sanguine rutilenti *L. 15. C. de testam. mil.* Ruin. *Cons. 71. n. 18. L. 3.* Gratian. Discept. Forens. *Cap. 505. n. 20. 21. 22.* Non nulli putant, modo constet de scriptura testatoris sive illa probetur per testes sive per confessionem adversarij, validum esse quod ad pias causas est relictum Everhard. Jun. *Cons. 27. vol. 1.* Si tamen inspiciamus *Cap. cum esses c. relatum X. de Testam.* videntur omnino duo testes requiri. Mantic. *de Conject. ult. vol. lib. 6. tit. 3. n. 9.* Franc. Barij *de Succ. l. 1. tit. 4.* Hahn. *in Obs. ad VVes. tit. qui testam fac. poss. n. 10.*

6. Legata & fideicommissa Ecclesiæ vel aliis venerabilibus locis pietatis & religionis intuitu relicta, si indebitè sint soluta.

soluta non repetuntur. §. *ult. I. d. obl. q. qs. ex contr. nasc.* Nam sublata falsa opinione relinquuntur pietatis causa, ex qua solutum repeti non potest *L. 32. §. 2. ff. d. condict. indeb.* Et quoniam ex his legatis lis inficiando crescit ita ut duplum præstandum, potius censetur solvisse ad fugiendam pœnam dupli, quam erronee solvisse; Imputet enim sibi quod non diligentius inquisiverit, an tuto negare possit illud debitum an non. Dum igitur maluit solvere quam indubio negare debitum, perinde est acsi ex transactione quadam solvat, arg. *L. 65. §. 1. ff. d. condict. indeb.* & pretio periculum redimat.

Singulare etiam est in legatis ad pias causas, quod ante 7
hereditatis aditionem peti & solvi possint. Innoc. *in C. Johannes X. de testam.* Panorm. *in C. Indicante eod.* Petr. Greg. Tholos. *Synt. un. jur. Lib. 42. Cap. 33. n. 10.* Cum alias legata etsi quidem statim debeantur à tempore mortis testatoris, non tamen ante aditam hereditatem peti possint, quoniam post eam demum transit dominium in legatarios *L. 86. §. 2. ff. d. leg. 1. L. 1. §. 2. ff. quod legat.* Quod si autem de facto petantur & capiantur, legatarij captum tenentur restituere per interdictum *quorum bonorum L. 1. ff. quor. bon.* & insuper rei amissione puniuntur. *L. 5. C. de Leg.* nisi ex heredis voluntate aut alia justa de causa capiant *L. 1. §. 14. ff. quor. leg.*

Et licet in omni heredis institutione de certa persona 8
constare debeat *L. 62. §. 1. ff. de hered. instit.* & error in persona vitiet institutionem *L. 9. ff. eod.* tamen si Ecclesia vel pauperes instituantur, sufficiens certitudo subesse putatur *L. 8. & 12. C. eod. L. 49. pr. & §. 1. C. d. episc & Cler.* Sed cui executio testamenti committenda hoc casu? Respondeo si certus executor designatus, ille erit præferendus omnibus, per *Cap. 3. X. de testam.* Quod si vero hic nolit vel nulli demandata provincia hæc, Episcopus loci, cujus Testator est, suscipiet executionem sine ullo lucro aut Falcidiæ detractatione, ne cœlestem iracundiam provocet. Brunn. *Comm. ad d. L. 49.* Quæ vero sint privilegia Ecclesiarum, & piarum domuum recensere non est hujus loci

 Sicuti

9 Sicuti pauperum causa etiam pia causa est, ita etiam eorum quæ in ipsos erogantur privilegia permulta sunt, nobis sufficiet paucula hic notasse, inter quæ est quod legatum pauperibus relictum nullam patiatur dilationem, Specul. *de testam.* §. *1, n. 5.* neque admittat Falcidiæ detractionem *Auth. Similiter C. ad L. Falcid.* Cui tunc demum locum esse volunt, si heres in præstando legato sit morosus. Verum ratio *d. auth.* non consistit in mora heredis sed in favore piæ cau-

10 sæ. Richter *ad. d. auth. n. 7. & seqq.* Quodammodo ad privilegia sumtuum pietatis referri potest quod pauperibus pro consequenda aut retinenda substantia Advocati patrocinium gratis suscipere ac præstare teneantur Ord. Cam. *P. 1. Tit. 19.* §. *ult.* Mynſ. *4. Obſ. 32.* Gail. *Obſ. 43. n. 11. & seq.* ad quod etiam compelli possunt non saltem sub pœna pecuniariâ, verum etiam interdictionis fori *L. 7. C. d. postul.* Et Dom. Soto *Lib. 5. de just. & jur. qu. 8.* statuit, Advocatum patrocinium suum pauperi detrectantem mortaliter peccare. Non tamen prius ad processum admittitur nec gaudet privilegio pauperum nisi 1. vel juramento vel attestato sui Magistratus comprobet, quod non habeat tantum in bonis ut litem persequi possit 2. Debet promittere & jurare, quod si victor exstiterit litis impensas & salarium Advocati solvere velit. In nonnullis tamen locis habentur certi Advocati, qui pauperum dicuntur, qui non gratis præstant auxilium, recipientes pro eo certum salarium annuum ex fisco Col. *de Process.*

11 *execut. P. 1. C. 2, n. 121.* Nonnunquam etiam sunt alendi ab adversario & sumtus illis ad processum suppeditandi, quod tamen tum demum procedit, quando pro se habent justam præsumtionem justitiæ causæ & obtentionis, & hoc casu tanquam de propriis illis quid erogatum præsumitur Cravetta *Conſ. 164.* Et hoc privilegium non tantum in Advocatis continetur, verum etiam ad Medicos & Iudices extenditur, qui pauperes gratis curare, justitiam administrare, præmiumque à Deo exspectare debent. Specul. *de salariis Med. num. 7. arg. L. 28, §. 2. C. de Episc. & Cler.*

Cum

Cùm pauperes satisdare non possint, ad juratoriam cautionem saltem admittuntur, modo sint honesti & de fuga non suspecti. Non tamen indistinctè hoc procedit, sed prius debent jurare, se nec fidejussores nec pignora invenire posse licet summam diligentiam adhibuerint, *Auth. Generaliter C. de Episc. & Cler. Nov. 112. C. 2. Nov. 134. C. 9.* Struv. *Ex. 5. th. 24.* 12
Insuper & hoc beneficio fruuntur, ut si quid illis legetur in testamento, propriâ autoritate id capere possint propter favorem alimentorum, non requisito prius herede, quod aliàs regulariter licitum non est. Coler. *de Process. Execut. P. 2. C. 3. n. 423. Menoc. A. I. Q. lib. 2. Cas. 52. n 12.* 13

Alimentis hoc tributum, quod sequestrari & arrestari non possint, *Coler. de al. l. 1. C 13 n. 20* quod saltem de necessariis intellectum volo. 14
Nec sententia pro alimentis & dote lata admittit appellationem, sed statim executioni mandatur *l. ult. ff. de appell recip.* idque propter favorem piæ causæ, cui alimenta & dos annumerantur. Gratian *Discept. Forens. C. 865. n. 31. n. 31.* Surd. *de alim. tit. 8. priv. 60. n. 8. usq. ad 13.* Non tamen desunt contrariæ sententiæ defensores ut Specul. *in tit. Appellat. §. In quibus vers. sed nunquid quando Iudex.* Tiraquel. *de privil. pi. causs. Privil. 133.* moti præcipuè ea ratione, quod appellatio semper sit permissa, nisi inveniatur expressè prohibita *L. 20. C. de appell.* Sed verior est sententia statuentium, quod non detur appellatio, quia caussa alimentorum desiderat celeritatem, cùm venter non patiatur dilationem, & dum causa appellationis cognoscitur, posset creditor fame perire. Appellatio autem solet rejici in illis causis quæ celeri expeditione sunt terminandæ. Hinc prius debet solvere antequam ad illam accedat reus, vid. Surd. Grat. *cit. loc. & ib. Autores cum limit.* 15

Non prætermittendum hic verbo attingere privilegium mulieribus ratione dotis illatæ concessum, circa cujus repetitionem Justinianus Imperator in favorem mulierum multa peculiariter constituit *L. un. C. de rei ux. act.* & voluit 1. ut licet mulier non sit sibi stipulata dotis restitutionem, tamen ad illam repetendam competat actio 16

ex ſtipulatu 2. Licet actio ex ſtipulatu ſit ſtricti juris tamen actio de dote ex ſtipulatu ſit bonæ fidei. 3. Quamvis mulier ſibi non proſpexerit de hypotheca in ſecuritatem dotis, tamen bona Mariti ipſi ex legis diſpoſitione hypothecæ jure ſunt obſtricta, *L. un. §. 1. ff. d. rei ux. act.* 4. Præfertur mulier etiam illis Creditoribus qui anteriorem habent hypothecam *L. 12. C. qui pot. in pign.* Mev. *P. 3. D. 13. num. 1.* qui textus cum ſit Generalis omnino etiam erit intelligendus de illis, qui expreſſam anteriorem habent hypothecam, hinc etiam illis anteferenda mulier, quorum pecunia res refecta. *Nov. 97. C. 3.* qua de re vide pluribus differentem Carpzovium *P. 1. C. 28 D. 65.* Nec me movet quod ille dicto loco fateatur contra ſanctionem Juſtiniani communem fere ubique terrarum receptam eſſe opinionem, cum quo etiam convenit Gail. *L. 2. Obſ. 25. n. 10.* ſtatuens nunquam in Camera ab ea ſententia receſſum fuiſſe. Vix enim (quod cū pace tanti viri ſumme alias reverendi mihi liceat dicere) hæc ſententia poterit probari, & quantum ego ſcio non ſolum in ditione Brandenburgica, verum etiam in hoc Ducatu ſemper ſecundum tenorem dictæ L. 12. judicatum eſt, referente id quondam *Dn. Strykio.* Nec deſtituitur hoc ratione, ut quæ in ipſo textu habetur: Propter obſequia enim quæ maritis præſtant, propter operas domeſticas, partus periculum & ipſam procreationem merito commiſeratione dignæ cenſentur fœminæ: Nec tantum bona ſua intulerunt, ſed etiam cuſtodia & operibus domeſticis rem familiarem auxerunt & conſervarunt. Quid ergo æquius eſſe poteſt, quam ut ratione dotis aliis Creditoribus præferantur, cùm, ſi bona Mariti non diligenti curâ aſſervaſſent, per hoc ipſum creditores facultate ſua repetendi privaſſent, & ſi conſuetudo eſt rationabilis ut famuli & miniſtri domeſtici ratione mercedis aliis creditoribus præferantur, rationi multo magis convenit, ut mulier non mercedem ſed dotem illatam repetens aliis præferatur. Quin vero pro ratione ſtatus publici ubi forte commercia & mercaturæ maxime promoveri debent, aliud ſtatui poſſit non eſt dubitan-

dum

dum, uti hoc me docuit Dn Præses. Ubi vero viget jus com- 17.
mune, hoc jure prælationis, quod alias personale est, non saltem gaudent ipsæ mulieres, verum etiam illarum heredes, non quidem extranei, sed descendentes Dd. in *L. 18. C. d. jur. delib.* Gratian. *Discept. Forens. cap. 143. n. 44.*

Præterea dos præfertur liberis prioris matrimonii legitimā suam petentibus, Carpz. *P. 1. C. 28. 97.* Dn. Brunn. *Cent. 2.*
Decis. 32. nisi & hi legitimam dotis maternæ petant, tunc e- 18.
nim ratione prioritatis Novercæ præferuntur *L. 8. pr. C. de sec. nupt.* Aliud tamen dicendum de rebus dotalibus adhuc existentibus in bonis mariti, in his enim Noverca liberis 19.
prioris matrimonii matris dotem petentibus præfertur. Carpz. *ib.*

Licet vero mulier fide jubens vel intercedens pro marito non obligetur, attamen propter pietatem & favorē liber- 20.
tatis marito conciliandæ statuunt nonnulli, si mulier pro marito mutuum sumente ad consequendam libertatem intercesserit, quod tunc obligetur *arg. l. pen. C. ad SCt. Vell.*

Quisnam sumtuuum studiorum sit favor facile apparet, si consideremus naturā peculii castrensis & quasi Castrensis, quodque hi sumtus coheredibus regulariter non sint con
ferendi *l. 50. ff. fam. erc.* Insuper quotidiani libri ipsorum non 21.
possunt facile arrestari aut oppignorari. Rationem nonnulli desumunt ex *l. 7. 8. auth. Agricultores C. qua res pign.* quod scil. debitori non sint auferenda instrumenta quibus victum sibi quærere & bona ad satis faciendum creditoribus parare possit. Et licet Dn. Richt. *ad Auth. Habita. pag. 57.* Struv. *Ex. 6. §. 34.* afferat, illorum libros hodiè posse oppignorari, tamen communiter excipiunt libros necessarios & ad quotidianum usum facientes, cujusmodi liber nobis solet esse Corpus juris &c. ex ea ratione, quod talis liber sit veluti aratrum studiosi, & non minor favor esse debeat illarum rerum quibus animus hominis, quam quibus fundus excolitur.

Habent etiam hoc inter alia privilegii studiosi, quod 22.
non saltem ipsi, verum etiam res illorum sint immunes à

vecti-

vectigalibus *arg. L.* 5. *C. de vectigal. & commiss.* Gloss. *in Auth. Habita C. ne fil. pro patr.* quare etiam illorum cistis inscribi solere: Studenten Guht/ quo Publicani scire possint, illorum res esse exemtos à solutione telonii, testatur Dan. Gehe. *tr. d. jur. & priv. miserab. person.* ubi plura priivilegia illis competentia legi possunt.

Quamvis autem mutuum in Studia assumtum proprie sumtus pietatis respectu mutuo dantis vocari non pos-
23 sit, est tamen hoc ipsum velut surrogatum quoddam in locum sumtuum à patre faciendorum, & censetur in rem patris versum. Unde si Studiorum causa in loco peregrino filio ad probabilem modum nummi sint subministrati SCtum Maced. hic plane cessabit *L.* 5. *L.* 7. *§.* 13. *C. ad SCt. Maced.* Schnobel. *Disp. ad ff.* 9. *§.* 23. modo non invito patre ibi degat filius. Quod si vero Pater sine justâ causâ filium à studiis revocare vellet, non dubitandum, quin actio contra Patrem dari possit. Mágis enim considerandum quid Pater facere debeat, quam quod faciat, cum favor studiorum sit publicus.

Hæc autem quæ dixi cum notabili restictione intelligenda sunt, si nempe filius pecuniam bene collocavit Nam desides & inertes Collegia Professorum non frequentantes cum nomen studiosorum non mereantur, illorum privilegiis etiam se indignos reddunt. Brunn. *ad. L.* 9. *C. d. SS. Eccles.*

Addenda adhuc quædam de sumtibus funerum ratione prælationis. Disputare autem solent, anne omnibus Cre-
24 ditoribus, tam expressam quam tacitam hypothecam habentibus ejusmodi expensæ præferendæ? Sunt nonnulli qui quoad priores Creditores id negant, quorum sententia primo intüitu vera videtur, cum nec legibus nec rationibus destituatur, maximè quoniam ejusmodi impensa non est propriè debitum defuncti sed quasi debitum *L.* 12 *§. ff. d. rel. & sumt. fun.* Peregrin. *de fideicommiss. art.* 35. *n.* 4 Ideo nec æquum ut præferatur vero debito pro quo bona sunt expresse obligata, prout in specie concludit Franc. *Decis.* 51 *part.* 1. *per tot.* Sed contrarium verius & æquius videtur. Nam

qui

qui aliquid impendit in funus, non defuncti sed hereditatis Creditor esse dicitur, de qua semper, illud deduci debet *L. pen. ff. d. rel. & sumt. fun. L. 1. §. pen. ad L. Falcid.* Hinc si habentes expressam hypothecam prius caperent, utiq; semper non deduceretur. Militat etiam pro hac sententia publica utilitas & favor funeris, propter quem debet cessare commodum privatū *L. 14. §. 1. L. 18. relig. 37. 45. ff. de & sumt. fun.* Gratian. *discept. Forens. C. 49.* Reipublicæ enim interest cadavera quam citissimè terræ mandari, ne ex fœtore, quem solent excitare, pestis, vel alia morborum genera nascantur arg. *L. 3. §. Divus. ff. de sepulch. viol.* Barbos. sub *voce Cadaver.* Sed hoc verum puto 25
de sumtibus necessariis pro ratione scil. facultatis & dignitatis, pompa enim funeralis non est de necessitate sepulturæ, sed potius damnum viventium quam subsidium mortuorum. 26
Idem statuunt de expensis factis, in curationem ægroti Brunn. *ad L. 3. C. de relig. & sumt. fun.* quas tamen Carpzov. intellectas vult de iis, quæ sunt erogatæ in eo morbo, ex quo defunctus interiit, non in aliis morbis. Carpz *P. 1. C. 28. Def. 45.*

Et hæc de privilegiis dixisse sufficiat. Plura videri possunt ap. Tiraquellum *sing. tract. de priv. Piæ causæ*, quo plura urgentem remitto.

CAPUT VII.
DE
ACTIONIBUS.

SUMMARIA.

Quæ actiones competant Ecclesiæ, si per ultimam voluntatem illi quid relictū sit. 1.
Si piæ causæ quid legatum, datur actio in duplum contra inficiantem & dolose differentem. 2.
Interdum actio ex voto defuncti datur contra heredes. 3.
Quæ actio competat si reipublicæ quid debeatur ex pollicitatione, 4.
Contra Patrem alimenta liberis denegantem competit imploratio officii Judicis. 5.
Quæ interdum etiam competit matri, 6.
Eadem imploratio officii judicis competit Parentibus contra liberos in casu necessitatis alimenta denegantes. 7.
Et praeceptoribus contra discipulos locupletes, 8.

Restat ultimo loco pauca dicere de actionibus in hac materia competentibus. Facilè vero cognoscitur actio, si inspiciamus negotium & causam, unde sumtus pietatis debetur. De illis enim actionibus, quæ ad petendos sumtus competunt, potissimum erit agendum: De eis verò, quæ ad repetendum, si forte ex tali re quid amissum sit, non ita erit agendnm. Et quidem si Ecclesia aut alia pia causa heres institu-
1. ta, habet actiones hereditarias; Si autem per ultimam voluntatem singulari titulo quid relictum, non minus Ecclesiæ ac aliis competunt tres actiones, nimirum vel vindicatio, si nempe legatum sit certum corpus non genus nec quantitas, vel actio personalis ex testamento directa, vel utilis, quando scil. heres, aut is qui ex quasi contractu obligatus est ad præstandum legatum, non tertius possessor convenitur, vel actio hypothecaria, quâ non res heredis, nec ipsa res legata, sed cætera bona testatoris petuntur, *§. 2. I. de leg. L. 1. & 2. in f. C. comm. de leg. L. 10. ff. ut in poss. legator.* Sutholt. *Diss. ad Inst. 10. §. 78.*
2. Hoc tamen actio ex legato ad pias causas habet insigne, quod contra inficiantem aut dolosè differentem detur in duplum, *§. 19 §. 23. & 26. I. de act.* Harpr. *ad dict. §. 19. de act. n. 8.* Nec illos textus per *Nov. 1.* abrogatos esse putandum est. Quod si ex voto aliquid Ecclesiæ debeatur, datur ei actio personalis, contra pollicitatores ejusque heredes, *l. 2. §. 2. l. 9. ff. de pollicit.* Struv. *Exerc. 50. §. 84. in f.*

Quem-

Quemadmodum aliæ actiones persecutoriæ ex contractu vel quasi descendentes contra debitoris heredes dantur, ita actio ex voto defuncti datur contra heredes *L. 2. §. 2. L. 14 ff. de pollic.* modo voti obligatio cum ipso defuncto non fuerit exstincta. Quod si reipublicæ aliquid sit relictum per ultimam voluntatem, ordinariæ actiones locum habebunt. Nec hic locum habet actio in duplum, Schneidevv. *ad §. 19. I. de act. num. 4.* Si ex pollicitatione Reipublicæ quid debeatur, contra pollicitantem ejusque heredes actio personalis venit instituenda, *L. g. 1. Leg. 14. ff de pollicit*, licet pollicitator statim post pollicitationem sit factus inops, quo tamen casu tantùm in quintam partem patrimonii conveniatur *L. 9. ff. de Pollic.* 3. 4.

Ratione alimentorum à Patre alimentarii præstandorum competit imploratio officii Judicis contra patrem, eoque defuncto vel inope contra matrem ad alimentorum præstationem, *L. 4 C. de al. lib. & parent.* Et hæc actio non solum ipsis liberis, sed etiam matri pro liberis tribuitur, nam mater Patre adhuc superstite potest agere contra eum non tantùm nomine sui, verum etiam suorum liberorum *L. 4. C. eod.* Et licet aliàs obtineat, quod fœmina pro alio legitimam standi in judicio personam non habeat, *L. 2. ff. d. R. I.* tamen hoc in casu est singulare propter alimentorum favorem. Et vice versa parentes à liberis in casu necessitatis alimenta per implorationum officii judicis petere possunt. *L. 5. C. de P. P. l. 2. C. de Al. lib.* Simili modo præceptores inopes à discipulis locupletibus alimenta petere valent, *Coll Iur. Arg de Agn. & Al. l. §. 9. inf.* Item Patronus Ecclesiæ petit sibi provideri ab Ecclesia de alimentis, *Cap. Nobis de jure Patron Cap. Quicunq, 6. qu. 7.* Rationes quare hic officium Judicis detur, hæ solent reddi, quod, cum Parentibus in jure nostro junguntur Patroni, & his non minus quam eis hæc imploratio competere debeat, & quod verba in *L. 5. §. 18. & 25. ff. d. agnos. & al. lib.* etiam ad Judicem ipsum dirigantur. Idem obtinere volo in Domino feudi & Vasallo inter se invicem, quoniam quod dispositum in uno correlatorum etiam dispositum censetur in altero. Surd. *de alim. Tit. 3. q. 3. num. 13.* 5. 6. 7. 8. 9. 10.

Donatarium donanti esse obligatum ad alimenta supra C. 3. diximus Sed quæritur, an per directam actionem alimentationem à 11.

donatario exigere possit, quod negat, Gloss. *in L. In condemnatione ff. d. R. I* Illud tamen aperti juris, quod si donatarius in casu necessitatis non alat donantem pro modo conditionis, & qualitate rei donatæ se indignum reddat re donata, & per consequens eam amittat, *L. ult. C. de rev. don.* quod eo magis procedere putant, si ex ipsa donatione factus fuerit inops. Mozz. *de Contr. tit. Quomodo annulletur donatio n. 58.* Hinc non quidem præcise, sed causative alere tenetur, si non vult privari donatis. Non tamen ultra modum, sed pro modo rei donatæ alimenta præstare tenetur Struv. *Ex. 40. th. 11.*

In Camera autem Imperiali solent emitti mandata sine clausula propter denegationem alimentorum Gail. *1. Obs. 13. num. 4.* Quamvis enim mandata sine clausula non facile sint decernenda, cum regulariter nemo nisi auditus condemnandus & ab exsecutione non sit faciendum initium, sunt tamen casus ubi
12. statim mandata S.C. possunt decerni, quos casus ad quatuor classes solent referre uff die 4. Fälle *O. C. p. 2. tit. 23.* Landtags Abschied zu Gandersheim §. zum andern so viel die *Justitz. p. m. 734.* & ad hos casus etiam causa alimentorum potest referri, tum qnod omni juri consentaneum sit ut liberi à parentibus alantur, tum quod summum in mora sit periculum.

13. Ratione dotis alia competit ratio ad consequendam dotem, alia ad illam repetendam, si matrimonium sit solutum. Et quidem licet non sit promissa dos, tamen cōtra illum qui ad dotandum obligatus est datur actio, & si à tali in genere sit promissa, datur actio ad consequendum dotem congruam; si ab extraneo certa quantitas in dotem promissa, ex ista promissione datur actio. Si solutum matrimonium competit ad eam repetendam actio ex stipulatū. Fingitur enim stipulatio intervenisse, etiamsi nudo pacto dos sit promissa, *L. un. §. 1. C. de rei ux. act.* Competit etiam marito cui dos promissa est hypothecaria actio, siquidem tacita hypotheca in securitatem dotis promissæ in bonis promissoris ipsi est constituta, *L. un. §. 1. C. de rei ux. act.* Non tamen ante potest institui actio ad petendam dotem, quam matrimonium revera sit contractum, siquidem promissio dotis semper sub hac conditione facta putatur, si matrimonium fuerit subsecutum *L. 10. §. 4. ff. de jur. dot.*

14. Quid autem dicendum ratione studiorum, Anne Pater potest com-

compelli ut filium studiis mancipet? Sed etiam patrem & illum qui naturaliter obligatus ad alendum per implorationem officij Judicis posse conveniri, ut pro ratione facultatum sumtus suppeditet ad illa studia, ad quæ is qui alendus est maxime est idoneus, facile apparet. Mynsing. *Cent.3.O.12.* Illud quoque certum est, quod Pater possit cogi ut filio in Academia viventi, si antea probè se gesserit, sumtus mittat. 15.

Si quis extraneus pietate compulsus funus duxerit, non autem ex pietate impensas fecerit, non quidem pro opera & pietate suscepta habebit actionem attamen ad repetendas impensas actionem N. G. quæ etiam actio solet vocari funeraria. 16. In hisce tamen sumtibus erogandis necesse est, ut habita fuerit ratio dignitatis & facultatis defuncti, Carpzov. *P. 1. C. 18. D. 41.* nam immodicarum expensarum quoad repetitionem nulla habenda ratio, *L. 14. §. 6. ff. de rel. & sumt. fun.* præcipuè si adsint Creditores, in quorum detrimentum hoc vergat. Hinc etiam talis expensas faciens per actionem funerariam id saltem consequi poterit, quod ratione facultatis & dignitatis impendere debuit, etiamsi defunctus voluerit fieri excessivas *L. 14. §. 6. ff. eod.* Richt. *de Priv. Cred. Diss. 4.* Et continentur hac actione funeraria solum ea, quæ in funus tantum impensa, non quæ facta in convivia. Chemnitz *de concurs. Cred.* licet secus sit de Jure Sax. teste Berlich. *P. 1. Concl. 64. n. 90.* Dn. Brunn. *ad d. L. 4.* 17.

Non tamen sufficit ut repetens hac actione funeris impensas in genere aut quantitate illas designaverit, sed debet illas specifice probare, scil. in quid & in quantum expensa facta, quo cnostet an superfluè, an aliter quam bona fides requirebat, impendia sint facta *L. 14. ff. L. 3. C. de rel. & sumt. fun.* 18. Aliter vero sese res habet in eo qui pecuniam credidit ob probabilem ignorantiam facti alieni, propter quam tali probationi obnoxius esse non poterit. Sufficiet ergò, si hic saltem doceat, se generatim credidisse pecuniam ad funerationem, illamque eo versam esse *arg. d. L. 3.* modo non enormiter fecerit. Mev. *P. 2. Dec. 223.* Subjungendæ essent exceptiones ratione sumtuum pietatis competentes, quæ tamen cū ex dictis facile appareant, jam non opus habent peculiari expositione.

Et hic igitur pedem figo. Veniam tamen à te precor B. L. si 19.

forsan alicubi impegerim, nec ex asse tuo desiderio satisfecerim; Etenim dissertationem Academicam, non tractatum inter alios labores Academicos conscribere volui, & sic feci quod pro juvenili ætate potui. Et fatentur majoris eruditionis clari ex *L. 2. §. 14. de vet. jur. enucl.* quod *in nullo penitus peccare divinitatis magis quam mortalitatis putetur.* Si vero quædam arrident palato tuo, utere illis, sin minus, erit, ut tibi meliora commonstranti promptissimas aures præbeam. Vix enim datur in tot Clariss. Doctorum conflictibus omnibus placere. Tibi vero æterne Deus pro infinitâ tua misericordia & directione studiorum meorum piâ mente gratias ago; Elargire mihi porro gratiam tui Spiritus, ut hìc ita pie vivam quo cum omnibus piis & fidelibus in æternum vivere possim.

F I N I S.

CVi semel ex voto certamen cessit, is instat
Porro, conflictus aggrediturque novos.
Non satis est claro molimine sistere nobis
Ingenii vires, divitiasque tui:
Sed quoque, quid, STISSERE, queas, ut IVLIA noscat,
Actu nunc pleno laude probare paras.
Et dum sic *Fusis* cupis associare *Bacillis*
Sumtus quos *Pietas* suppeditare solet:
Emicat inde simul *Pietas* tua maxima, *Sumtus*
Tam bene quod studiis applicuisse scias.
Vnde tibi merito de tantis gratulor ausis,
Præmia & insigni pro *Pietate* precor.

Hisce

Nobiliss. ac Doctiss. Dn. Stissero nuper hic Francofurti de Bacillis fissis, *iam Helmstadii* de Sumtibus Pietatis *disputanti gratulatur*

SAMVEL STRYKIVS. D. Com. Palat. Cæs. & Pandect. in Acad. Francof. Prof. P.

Ad

Ad

Dn. Ioach. Christoph. Stisserum, I. V. Cand.

DE SVMTIBVS PIETATIS CAVSA IMPENSIS publicè Disputantem.

PEnduntur Sumtus varii, (non persequor illos,)
At rarò in causam pars quotacunque piam:
Impensæ imò piæ dictæ dispendia fiunt,
Si non dispenses ut pia Causa jubet.
Expendis, STISSERE, satis, quid pendere magni,
Quid nihili deceat. Pendet id æqua Themis:
Impensas Studiisque Tuis pietate Parentis
Factas pensabit Fons & Origo boni.
Affluat ille Tibi Sumtus pietatis amico!
Sic facies Sumtum qui mage quæstus erit.

Ita Nobiliss. Dn. Autori ominatur, & de egregio Eruditionis specimine ex animo gratul.

Gottfried Wilhelm Sacer, I.V.D.

QVæ mens ingenuis semel est addicta Camœnis,
Quæque cupit summum nancisci culmen honoris,
Hæc citius famæ laudumque cupidine fervet,
Nec indefessos, queîs nocte dieque fatescit,
In tenebris longum finit occultare labores.
Nam mature urit, quod vult urtica manere,
Hinc tibi, qui dudum Themidos penetralia pandis,
STISSERE, eximios Themis hæc mox spondet honores,
Quales promeruit juris Legumque peritus.
Pandite nunc Helicona Deæ, cantusque movete,
STISSERVM accipite, is vestris jam sedibus hospes.
Accessit, viridique corona cingite frontem.

Hisce
Nobilissimo ac Politissimo Dn. Respondenti acclamat
MARTIN von Böckellen. L.L.Stud.

Ein

Ein kunstergebner Sinn der sich zur Weißheit fügt/
Sucht allezeit empor in Glantz und Ehr zu schweben
Was nützt ein reicher Schatz der in der Erden liegt?
Die Perlen die annoch in ihren Muscheln kleben
Seind keinem nütz noch lieb: So auch ein Tugend Schatz
Verlieret seinen Glantz wen er verborgen bleibet.
Ein unverzagtes Hertz eilt auff dem Tummelplatz/
Da wird des Nahmens-Ruhm den Sternen einverleibet/
Da wird der Preiß erlangt; Sein hoher TugendSinn
Will billig / wehrthster Freund im Tunckeln nicht verderben/
Drumb weil er Eifrig eilt zum Sitz der Ehren hin/
Muß er mit höchsten Ruhm des fleises Lohn erwerben.

Dieses wenige setzte zu bezeugung seiner Schuldigkeit
seinen werthgeschätzten Freunde und
Herren Stubengesellen.

JOHANN Backmeister.

FRater, de sumtu pietatis docta cathedra
Dum tua vox implet, vox simul arte probat,
Non vanos sumptus nostrum impendisse parentem,
Letor, & ut par est, gratulor ore Tibi.
Pergas ad positam menti decurrere metam,
Julia cum patriâ digna brabea dabit.

Fratri suo Germano ac dilectissimo de Sumtibus pietatis disputanti ita acclamat

JOHAN ANDREAS STISSER
Med. Stud.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA